DE ANNIS IMPERII
M. AURELII ANTONINI
ELAGABALI,

ET

DE INITIO IMPERII.

Ac duobus Consulatibus

JUSTINI JUNIORIS

DISSERTATIO APOLOGETICA

AD NUMMUM

ANNIÆ FAUSTINÆ

Tertiæ ejusdem Elagabali Uxoris.

PATAVII, Typis Seminarii. MDCCXIII.
Apud Joannem Manfrè
Superiorum Permissu, ac Privilegio.

INDEX
CAPITUM.

PRÆFATIO
De ſcribendi Occaſione, atque Ordine.

CAPUT I.

Annos imperii Elagabali deducit Valſecchius ab interitu Caracallæ. Hæc ſententia ex ipſis nummis ab eo productis refutatur. Elagabalus Romam venit poſt menſem Aprilem U. C. *972., terreſtri itinere, non maritimo. Maria navigationi quando idonea.* Felicitas Auguſtorum *in nummis. Iter terreſtre Nicomedia Romam Imperatoribus frequentatum. Elagabalus poſt adventum* Congiaria *diſtribuit. Hoc tempore decurrebat ejus Tribunicia Poteſtas* ſecunda, non tertia. *Hinc falſum Syſtema Valſecchii quod etiam incredibile.*

CA-

CAPUT II.

Refelluntur quæ Valsechius in suam sententiam adducit. Propterea quod Macrinus imperium Caracallæ rapuit, non ideo Elagabalus ejus annos occupavit. Exempla aliorum Imperatorum. Ita nec quia Consulatum Macrini invasit. Nummus Ægyptiacus Corneliæ Paulæ, & annus III. *illi inscriptus explicantur. Hic nummus* Adventum *Elagabali non significat. Quid* Pacificatoris habitus. *Eo habitu Imperatores Roman advenientes expressi: quam urbem intrabant non paludati, sed toga seu prætexta induti. Nummus Corneliæ cum altero Elagabali comparatus. Figura eidem sculpta Statuam Elagabali repræsentat: quæ cur nuda.*

CAPUT III.

Nummi uxorum Elagabali cum notâ annorum Imperii explicantur. Exponitur modus, quo eos nummos Valsechius interpretatur, & matrimonia earundem uxorum disponit; & rejicitur. Nova alia methodus profertur. Diversa inter urbes Asiæ, & Ægypti signandi in nummis Epochas annorum ratio. Numismata conjugum Elagabali Ægyptiaca. Annus apud Ægyptios duplex, vagus, & fixus. *Undenam*

si an-

ii annos Imperatorum exordirentur, & quomodo computarent. Nummi Galbæ, Hadriani, L. Veri, & Otacilæ secundum morem Ægyptiorum explicati. Hinc etiam nummi uxorum: quarum matrimonia per annos imperii Elagabali rite digeruntur.

CAPUT IV.

Diluuntur alia Valsechii argumenta. Sexennium Imperii Elagabali non Herodiano, sed Librarius imputandum. Dio perperam favere dicitur sententiæ Valsechii. Idem Dio annos Cæsarum a proclamatione orditur quod exemplis Galbæ, Vitellii, ac Vespasiani fuse demonstratur. In Græcis Catalogis Imperatorum Macrinus omissus caussæ Valsechii non suffragatur. Ita nec Orosii auctoritas, qui in temporibus tradendis passim labitur.

CAPUT V.

De annis imperii Elagabali Dionis sententia ex fine regni Macrini, cujus nummi explicantur, & ex initio Alexandri confirmata. Proponitur Epigraphe Canonis Paschalis S. Hippolyti: cui inscriptio Serapidi dicata non adversatur. Elagabalus Deos omnes præter suum rejicit. Nummi cum Pot. V. Elagabali a Pagio expli

plicati: quem Valsechius impugnat. Elagabalus salutatus Imperator die XVI. Martii, non Maii: ex quo Trib. Pot. V. expediri potest. Processus Consulares pluries repetiti. Valsechius perperam utitur testimonio Capitolini. Pagius defensus. Elagabalus Macrini nomen e Fastis eradit, suumque inscribit. Hinc credibile etiam annos Imperii a Kal. Januariis per anticipationem numerasse. Hoc produnt nummi cum Processu Consulari, ex ipsius Valsechii sententia. Nummi omnes Elagabali Trib. Potestatem Consulatui adaequant. Joannis Vignolii nuper edita Dissertatio.

CAPUT VI.

Joannis Vignolii de inscriptione Canonis Paschalis S. Hippolyti sententia, & nummus Elagabali ab eo productus expenduntur. Testimonia Eusebii ac S. Hieronymi de eodem Canone explicata. Hippolytus Cyclo suo sedecennali annum Consularem non apposuit, sed annum I. Alexandri. Cycli Paschales Imperatorum nominibus olim inscribebantur. Æra Paschalis ab anno primo Diocletiani petita. Epochæ Paschalis Hippolyti exordium a Neomenia Lunæ: cujus rei exempla alia. Lunæ conjunctio die prima anni Juliani celebrata, non antecedente, uti censuit Cassinus. An hic annus intercala-

ri...

ris. Operi Paschæ S. Hippolyti nullum Chronicum insertum; sed doctrina temporum Paschalium tradita, secundum ejus hypotheses: & exinde Cyclus sedecennalis digestus. Is mos etiam Astronomis usurpatus. Qui Cyclum S. Hippolyti in Cathedra insculpsit, nihil immutavit. Dionis textus de annis Elagabali nequaquam corruptus. Duorum invicem numismatum pugna: & Fasti Græci explicati. Hinc sententia Pagii de anticipato Elagabali Imperio haud penitus deplorata. Vignolii mutuum Alexandri nondum ab impedimentis Canonis Hippolyti expeditum.

CAPUT VII.

DE INITIO IMPERII JUSTINI JUNIORIS

Ante Justini caussam, exempla Augusti, & Julii Cæsaris congrue ad Elagabali anticipationem fuisse allata, ostenditur. Valsecchius perperam Auctori imponit, quæ nequaquam scripsit. Justinum successisse Justiniano A. C. 565. novis ac certis argumentis probatum. Duplex modus computandi annos Postconsulatus. Justinus numeravit annos Imperii a Kal. Januarius an. 566. cum suscepit Consulatum, non a die suo Natali. Hoc primum evincitur ex quodam Gaudiosi Presbyteri monumento. In vetere Ecclesiæ Ordinationes sacræ Dominico die agebantur

bantur. Intervalla Ordinum ad longum tempus dilata. Quo seculo Orationes, quibus utimur in consecratione Presbyteri, fuerint conditæ, conjectura. Quid censura morum, & censura vivendi. *Epitaphium Boetii fulcit sententiam de initio annorum Justini, non convellit, ut putavit Valsecchius. Ea etiam ex Corippo confirmata. Justinus non distinxit annos Imperii ab annis Consulatus, quod Valsecchius ex Novellis a Pagio male detortis censuit: neque primus instituit ut anni Augustorum a Consulatu, & ab Imperio numerarentur.*

CAPUT VIII.

DE DUOBUS CONSULATIBUS JUSTINI.

Justini Junioris Consulatus primus A. C. 566. *gestus, & alter* A. C. 568. *contra Pagium demonstrantur. Floræ Epitaphium, & Schedæ Gaudiosi denuo sub examen. Corippi poema per tempora digestum. Instrumentum antiquum Ravennæ scriptum in papyro Ægyptiaca, in quo Consulatus* secundus, *& aliæ temporum Justini notæ. Quid* statio *in subscriptione ejusdem Chartæ. Moneta est ipsa Officina, seu fabrica monetaria. Palatium Imperatorum quo loco situm fuerit in urbe Ravenna. Fasti Erachiani in quibus duo Justini*

in Consulatus. Pagius castigatus. Justinus nequaquam instituit Consulatum perpetuum. Pagius uerum refellitur. Justinus Postconsulatus annos modo Marcellinum computavit: uti factum quoque ab Justiniano, & Tiberio. Novellæ Justini perperam a Pagio, & Valsecchio emendatæ, Consulatum secundum produnt. Qui etiam ex Epitaphio Capuano confirmatur. Episcoporum consecrationis dies, Indictio capta a Kal. Septembris mensis, atque initium Justini ex eodem elogio illustrantur. Idem Augustus Consulatum non cessit anno 567. adversus Valsecchium & Pagium, cujus argumenta singula, ex Fastis Maffejorum, Mario Aventicensi, Chronico Alexandrino, & Theophane petita, repetuntur.

CAPUT IX.

DE NUMMO ANNIÆ FAUSTINÆ.

Dissidia ob Damascenorum Epocham in nummo Anniæ Faustinæ exorta. Ejusdem Epochæ explicatio olim proposita. Nummus idem genuinus & probatæ fidei: Epocha corrupta. Non semel viri docti in dijudicandis nummis ex typo decepti. Uxoribus Principum post repudium ac mortem mariti mansit Augustarum appellatio: quod etiam hodie usu est receptum. Lucillæ, Manliæ Scantillæ, Juliæ Domnæ, ac

** 2 Cor-

Corneliæ Paulæ exempla ab objectionibus Valsechii vindicantur. Quid de conjuge Severi Alexandri statuendum. Herodianus parum æquus in Alexandrum, ac Mamæam ejus matrem. Annia Faustina post mortem Elagabali sub Alexandro Augustæ *nomen retinuit. Ejusdem Cæsaris in eam ob Antoninorum cognationem favor. Faustinæ permitti potuit etiam numismatum honos. Ingens apud populos in Antoninos amor, ac juxta Deos reverentia. Explicatio Epochæ nummi Anniani satis congrua, si Epocha ipsa vera esset. Complexio hujus controversiæ.*

AD

AD JOANNEM DOMINICUM THEUPOLUM SENATOREM VENETUM

PHILIPPUS A TURRE EPISC. ADR.

De scribendi Occasione, atque Ordine.

PRÆFATIO

NOn una ratione impulsus sum, JOANNES DOMINICE THEUPOLE, quamobrem Dissertationem hanc meam, quasi desponsum destinatumque munus, ad te mitterem. Cui enim quidquid ex vetustatis eruditę studiis in lucem prodit, magis deberi existimandum est, quam tibi, qui antiquitatem ipsam non animo solum ac mente complecteris, sed etiam, comparata ex universo pene Orbe ingenti numismatum copia, in ædes tuas, tanquam necessitudine contubernii junctam, excipis splendidissime ac foves? Praeterea hoc quantulumcunque opus eo maxime tuum esse oportuit, quod ejus elucubrandi occasio a te profecta est, & tibi, quod ad hanc disputationem ingressi sumus, acceptum in primis referimus. Tua enim Annia Faustina, altera veluti Helena, hasce literarias, quas nunc agitamus, discordias commovit, meque ad hoc bellum, quod

non armis, sed ingenio, non odiis atque offensionibus, sed amico prorsus pacatoque animo conficiendum est, incitavit. Siquidem cum tu ejusdem Faustinæ, tertiæ Elagabali uxoris nummum Græcum maximi æris in tuum illud celebre Museum præteritis annis intulisses, statim turbæ non leves, ob Damascenorum Epocham illi inscriptam, inter eruditos subortæ sunt. Quam quidem Epocham cum ego tunc explanandam suscepissem, edita Dissertatione epistolari ad Cl. virum Joannem Antonium Astorium, quam Diarii Italici Auctoribus tom. IV. pag. 380 inserere placuit, ut viam, quoad fieri in re difficillima posset, aptissimam ad eam Epocham enodandam pararem, annos Imperii Elagabali, & Tribuniciam ejus potestatem V, de quibus maxima inter eruditos contentio agebatur, inter se componere aggressus sum. Nimirum cum Dio Cassius, tradiderit, Elagabalum regnasse *annos tres, menses novem, & dies quatuor* a die commissæ pugnæ cum Macrino, nec ea pugna ante initium Junii mensis anni Urbis conditæ 971. & æræ Dionysianæ 218., nec mors Elagabali post diem XIII Aprilis U.C. 975 Christi 222. consignari possint, propterea dies imperii ejusdem Cæsaris ad amussim esse expensos ab eodem præstantissimo Historico judicavi. Quod si Elagabalus Imperium, ac Tribuniciam Potestatem primum suscepit ineunte mense Junio A. U. 971. decessitque sub initium Martii 975, intra quod temporis spatium concluduntur anni tres, & menses novem Dionis, nulla ratione potuit attingere Tribuniciam Potestatem V.

V. quam tamen plures ejus nummi, quos postea recitabo, expressam proferunt. Doctissimi viri nodum hunc implicatissimum non una via dissolvere conati sunt: quos omnes mihi esse desferendos putavi, præter Antonium Pagium, qui Elagabali annos a Kalendis Januariis A. U. 971. Christi 218. per anticipationem numeratos censuit, ita ut ab eo cardine petita Tribunicia Potestate prima, initium quintæ desumeretur a Kalendis Januariis anni 975. Qua ratione & nummi Potestate V. insigniti explicantur & fides Dioni constat & demum mors Elagabali Martio mensi relinquitur. Porro anticipatum illud ab Elagabalo imperii sui exordium, exemplo Julii Cæsaris, Octavian., & Justini Junioris, haud insolentis esse moris demonstravi. Ergo quandoquidem Elagabalus fato functus est initio mensis Martii U. C. 975., nummum Damascenorum Faustinæ, cum anno 535 Seleucidarum, percussum dixi duos propemodum annos post obitum Elagabali ejusdem Faustinæ viri. Quam rem, quę ab usu & ratione abhorrere videbatur, variis conjecturis in speciem veri componere adnisus sum. Hæc ad summam capita sunt epistolæ meę quę in progressu operis latius exponam.

Paucis post mensibus Virginius Valsecchius Monachus Benedictinus, nunc in Academia Pisana publicus Sacrarum Literarum professor, typis Florentinis tradidit eruditam Dissertationem *De Elagabali Tribunicia Potestate V.* in qua cum novam de annis ejusdem Augusti numerandis rationem excogitasset, nummos Tribuniciam Po-

te

testatem Quintam præferentes cum Dione conciliare, ceterasque difficultates, excussis ac rejectis quibusque aliis eruditorum sententiis, expedire conatus est. Quippe Elagabalum neque a pugna cum Macrino, neque a militum acclamatione, sed utique ab interitu Caracallæ, qui ante ipsum Macrinum regnavit, annos Imperii ac Tribuniciæ Potestatis putasse, decreto suo sancivit. Cumque Caracalla sublatus fuerit die octavo Aprilis U. C. 970., Tribunicia Potestas V. Elagabali exordium ceperat eodem die octavo ann. 974. a quo die ad initium Martii mensis anni insequentis 975. conflati sunt nummi cum eadem Potestate quinta. At Pagii sententia de anticipato Elagabali exordio, cui sententiæ ego accesseram, erat illi potissimum subvertenda. Quare V. C. opus hoc aggreditur capite quarto & subinde res quoque meas, quas in subsidium Pagii instruxeram, *ad incudem revocare* fatagit. Et primum quidem Julii ac Octaviani Cæsarum exempla excutit leviter: dein Justini caussam multis verbis exagitat: & demum conjecturas ad nummum Anniæ Faustinæ acutiori stilo perstringit.

Quamobrem constitutum mihi est, eo jure, quo cuique in sui defensionem uti fas est, adversa doctissimi viri molimina pertentare, & conari aliquid, quo mihi consultum, illique in amica hac concertatione satisfactum esse possit. Dissertationis duæ erunt veluti partes, quæ in fronte operis indicantur: in altera, quæ inscribitur DE ANNIS IMPERII ELAGABALI, refutationem Valsechii, & defensionem

Pa-

Pagi complectar: in altera, Julii ac Octaviani exemplis breviter vindicatis, agam DE INITIO IMPERII JUSTINI, ET DUOBUS EJUS CONSULATIBUS ad quæ copiosius pertractanda & ille objectis suis me invitavit, & argumentum ipsum pluribus difficultatibus implicatum coegit. At vero quamquam Dissertatio hæc AD NUMMUM ANNIÆ FAUSTINÆ est comparata, quod ab illo disceptandi occasio manavit, is tamen non solum ad posteriores curas rejiciendus est, quia rei ordo id postulat, sed etiam pene abjiciendus, postquam Epochæ Damascenorum defendendæ, iis de caussis, quas tu, Senator amplissime, nosti, atque ipse loco suo exponam, spes amputata omnis mihi est. Nihilominus cum tueri veritatis colorem, quo tum conjecturas meas indueram, cum res erat integra, & maculas ab adversario dignitati ac titulis Faustinæ inspersas detergere, tuumque demum præclarissimum numisma, quamquam alicubi vitiatum ac corruptum, pretio suo ac famæ restituere contendam.

Hæc autem priusquam aggredior, novum Valsechii systema, de annis imperii Elagabali ab excessu Caracallæ petitum, est mihi refellendum ad quod tum suscepti operis ratio me compellit, eo enim salvo, Pagianum labi necesse est, tum etiam ipsius Clarissimi viri exemplum, qui primum sibi proposuit Pagianam sententiam ac meam elidere, ut ad suam explanandam deinceps accederet. In quo quidem negotio persequendo, quam ille veniam, dum me

to-

toties judicio suo peccantem in lucem hominum produxit, a me honestissime petiit, eam me ab ipso liberalissimam impetraturum non diffido. Nec vero, uti reor, ægre tulerit vir doctus juxta ac humanissimus, cui res meas *ad incudem revocare* suam placuit; si & ego meu dem meam tundendo, quæ inter homines literarum studia professos libertas est, vicem illi reddidero.

Vides, JOANNES DOMINICE, quæ me, ab erudito Viro in arenam raptum, necessitas ad hanc concertationem adegerit, & quis modus, atque ordo in ea agitanda sit mihi propositus. Tu interim qui commendatione vetustissimę stirpis, & amplissima Dignitate, eque ac pręclaris doctrinę ornamentis pręfulges, tu, inquam, & Senatoria gravitate, atque eruditę antiquitatis peritia, quibus præcipue subsidiis auctoritatem judicio tuo afferre potes & fidem, de hac controversia diligenter penitusque cognosces. Quod jure etiam tuo potissimum facies: eo enim plane consilio Dissertationem hanc tibi inscripsi, ut quandoquidem tibi illam deberi non uno argumento professus sum de ea, veluti de te tua, ex animi tui sententia decernas & statuas. Jam vero opus ipsum ingredior.

DE

DE ANNIS IMPERII M. AURELII ANTONINI ELAGABALI AUG.

CAPUT I.

Annos imperii Elagabali deducit Valsechius ab interitu Caracallæ. Hæc sententia ex ipsis nummis ab eo productis refutatur. Elagabalus Romam venit post mensem Aprilem U. C. 972., terrestri itinere, non maritimo. Maria navigationi quando idonea. Felicitas Augustorum *in nummis. Iter terrestre Nicomedia Romam Imperatoribus frequentatum. Elagabalus post adventum* Congiaria *distribuit. Hoc tempore decurrebat ejus Tribunicia Potestas* secunda, non tertia. *Hinc falsum Systema Valsechii: quod etiam incredibile.*

ELagabalus *in Epistola, quam ad Senatum, & scripto, quod ad populum misit, & Imperatorem, & Cæsarem se, filiumque Antonini, Severi nepotem, pium, felicem, Augustum, Proconsulem, Tribuniciæ Potestatis inscripsit, hæc nomina necdum sibi decreta prior occupans.* Ita Dio Cassius lib. 79. pag. 907. editionis Hanovianæ quod semel sit præmonitum

ad hunc Auctorem, & ejus excerptorem Xiphilinum sæpius citandos. Hunc textum perpendenti Cl. Valsecbio venit in mentem, ut ipse narrat initio capitis sexti, Elagabalum, quemadmodum prædicta Imperatoris, Cæsaris, Pii, Felicis, Augusti Proconsulis, Tribuniciæ potestatis nomina, priusquam a Senatu sibi essent decreta, susceperat, quod nempe Antonini Caracallæ filium, & Severi nepotem se jactitaret, *ita eandem ob caussam initium fui Imperii a morte ipsius Caracallæ fortassis deduxisse*. Antoninus Caracalla fraude Macrini occisus est die octava mensis Aprilis anno U.C. 970. Christi 217. Ab hoc die ad initium Martii U. C. 975. Chr. 222. quo Elagabalus decessit, intercedunt anni quatuor supra menses undecim. Igitur deductis annis imperii a nece Caracallæ; Elagabalus instanravit Tribuniciam Potestatem v. die octava mensis Aprilis U. C. 974., a qua die ad mensem Martium insequentem cudi potuerunt nummi eadem Tribunitia Pot. v. insigniti.

Sane nullum poterat excogitari commodius Systema, quo difficultates omnes, quæ in hac controversia agitantur, uno veluti spiritu exhaurirentur. Sed ignoscat V. C. si dixero, tam præclarum inventum, & tanta eruditionis mole, quæ passim in ejus egregio opere eminet, extructum, primo statim ictu concidere, & quidem telis ab ipsomet ejus conditore petitis. Hoc summatim nunc ostendo, fusius deinde explicaturus. Profert ille nummos Elagabali, in quibus exprimuntur Congiaria ab eodem Imperatore distributa, cum epigraphe TR. P. II. COS. II. Elaga

ba

balus advenit Romam, ut ipse non semel docet, exacto mense Aprili U. C. 972., post quod tempus dedit Congiaria. Si cœpti essent numerari anni ejus a nece Caracallæ, nimirum a die VIII. Aprilis U. C. 970., post Aprilem 972. fuisset in cursu Tribunicia Potestas *tertia*. At cum nummi laudati prodant Tribuniciam Pot. *secundam*, dici nequit a morte Caracallæ numeratos fuisse Elagabali annos. Sed hæc meliore in lumine sunt collocanda.

Auctor noster, ut scribit postremo capite suæ Dissertationis pag 112., apud Mediobarbum invenerat nummum Elagabali ex Angelono ita inscriptum: TR. P. II. COS. III. LIBERAL. AVG., in quo Imperator spectatur *in substructione sedens, prope eum figura muliebris, dextera tesseram gestans, sinistra cornu copiæ, alia figura scalam ascendit*. Quæ Congiarii sunt indicia. Cumque videret eam inscriptionem plane evertere suum Systema, omnem lapidem movit, ut certior fieret, an ita illa se haberet. Itaque bono suo fato apud eundem Angelonum in Commentariis animadvertit, aliter describi eam ipsam epigraphem, nimirum TR. P. II COS. II. LIBERAL. AVG. & in alio, LIBER. AVG II. Imo tum apud Vaillantium in Nummis aur. & arg pag 286. nummum invenit eodem typo, eademque inscriptione signatum, quem is antiquarius sic effert LIB. AVG. P. M. TR. P. II. COS. II. *Imperator sedet in substructione cum Liberalitate stante, icuncula scalam ascendit*: tum etiam apud Occonem, & eundem Vaillantium alios nummos reperit *Liberalitatis* II. Elagabali, in quibus legitur TR. P. II. COS. II Quare veluti

exultans, *illa*, inquit, *epigraphe Angeloni nullo pacto adversatur nostro Systemati*. & pene votum solvit potenti maris Deo, tanquam a certo rerum suarum naufragio liberatus. At non satis sibi cavit vir alioquin probe oculatus, nec vidit, se nondum evasisse periculum, sed ab iis ipsis nummis Oceonis, & Vaillantii, a quibus salvum se factum gratulabatur, in præsentissimum scopulum detrudi. Post obitum Macrini, qui contigit mense Junio U. C. 971. Epochæ Dionysianæ 218. rebus in Oriente ordinatis, Elagabalus e Syria profectus est: nec tamen statim Romam contendit, sed *Nicomediæ hiemavit*, *ita postulante anni tempore*, ait Herodianus lib. 5. c. 5. Consentitque Lampridius in vita, cap. pariter 5. Imo aliquandiu post hiberna in eadem urbe substitisse, ad sedandas turbas in Bithynia excitatas, recte ex Dione colligit Valsechius pag. 15. Itaque excesserit Elagabalus Nicomedia exeunte mense Martio, vel sub initium Aprilis anno U. C. 972. æræ vulgaris 219. Num terrestre iter, an maritimum profecturus Romam tenuerit, in incerto est, nullo veterum Scriptorum id tradente. Comes Camillus de Sylvestris, qui editis nuper Juvenalis & Persii Satyris Italico metro, doctisque ac amplissimis commentariis illustratis, urbis hujus Rhodiginæ, post Cælios, Riccobonos, Bonifacios, singulare est ornamentum, ex suo locupleti Numismatum, & rerum antiquarum cimeliarchio nummum Elagabali argenteum mihi ostendit, in quo visitur *Navis Prætoria* expansis velis cum Epigraphe FELICITAS AVG. Huic similem habet Mediobarbus, duosque iosuper

per alios cum *Triremi Prætoria*, & inscriptione. FELICITAS TEMP. Hisce nummis profectionem maritimam, *feliciter* ab Elagabalo susceptam atque absolutam, indicari suspicabar: sed animum ab ea opinione avertit tempestas anni importuna, qua verisimile nequaquam puto, Imperatorem fere puerum cum duabus Augustis, & ingenti apparatu, se pelago committere voluisse. Quamquam enim maria aperiebantur *ad diem sextum Iduum Martii*, attamen *usque in Idus Majas periculose* tentabantur. & tunc quidem patebant *negotiatorum* industriæ, non vero *exercitus* navigationi, in qua *major adhibenda est cautela*, inquit Vegetius de re milit. lib. 4. cap. 39. Quare, cum Elagabalus ante *Idus Majas* profectionem suam instituisset, & sane non sine parte saltem aliqua *exercitus*, ut mos erat Imperatorum, maritimi itineris pericula tentasse non est credendum. Præterea *Navis* non semper in nummis Classem significat, sed etiam symbolum est cujusvis *Felicitatis* Principi attributæ, ut notavit Philippus Bonarota eruditione, & Senatorio Ordine in urbe Florentina illustris, in Libro Italico observationum historic. pag. 110. Apud quem pag. 344. Orselius tab. 56. num. 1. nummum Postumi, in quo scalpta est *Navis* cum epigraphe. LÆTITIA AVG., retulit ad lætitiam provinciarum ob rerum copiam, quibus beneficio Principis illæ abundabant. Et Trimalchio testamento jussit: ut NAVES *etiam monumenti mei faciat plenis velis euntes*, ad ejus nimirum felicitatem denotandam.

Ergo libentius mihi persuaserim, Elagabalum ter-

terrestri itinere contendisse, nimirum angustiis Bosphori ad Byzantium transmissis, per Thraciam, Moesiam, Pannonias, Aquilejam usque, ac inde Romam: quae via militaris erat, & frequentissima, aliisque Imperatoribus, dum ab Oriente Romam, & vicissim tenderent, saepius suscepta. Hadrianus, inito Imperio Antiochiae, *Romam venit per Illyricum*, ait Spartianus in vita cap. 5. in fine. Septimius Severus devicto Nigro, apud eundem Spartianum cap. 10., dum Romam pergeret *in itinere apud Viminatium*, quae urbs Moesiae superioris erat, *filium suum majorem Bassianum Caesarem appellavit*. Rursus post captam Ctesiphontem, & Parthos superatos viam eandem tenuit: nam in itinere *Mysorum*, *& Pannoniorum* exercitus recognovit, *& dein Urbem triumphans invectus est*, uti narrat Herodianus lib. 3. cap. 10. Aurelianus adversus Zenobiam pergens, in itinere Barbaros vicit *in Thraciis*, *& in* Illyrico, atque *inde per Byzantium in Bithyniam transitum fecit*, testante Vopisco de ejus vita cap. 22. Demum, ne majorem in hanc rem operam insumam, Diocletiani celebris est profectio Roma Ravennam, atque inde Nicomediam *per circuitum ripae strigae*, (in qua voce explicanda tot eruditorum hominum ingenia desudarunt) uti vocat viam circa Danubium Lactantius in aureo libello de mortibus Persecut. cap. 17. Porro haec a Nicomedia Romam via, quam tenuisse Elagabalum arbitramur, continebat, inito calculo ex Itinerario Antonini, milliaria ad minus MD. Iter militare in singulos dies erat viginti milliarium; aut

si

si celeriter esset abeundum, quinque & viginti. Distributis itaque diebus per mille quingenta milliaria, dies sexaginta emergunt. Imo, si per stationes, quæ in Thracia decem & octo milliaria faciebant, ut tradit idem Lactantius cap. 45., ratio itineris esset ducenda, viginti propemodum dies accederent. At vero nec quotidie, nec magnis itineribus, quamvis *Mæsa* Elagabali avia *ad Romanam aulam festinaret*, ait Herodianus loco antea citato, progressum fuisse Imperatorem facile sibi in animum induxerit, qui Principem novum, ubique per urbes sollemni pompa exceptum, duabus Augustis, matre, & avia, regii famulatus turba, & parte exercitus stipatum cogitaverit. Itaque non minus tres menses in hoc itinere videtur consumsisse Elagabalus, Romamque pervenisse non ante initium Julii mensis. Quod optime congruit sententiæ Cl. Valsechii, qui pag. 16. conciliaturus Dionem cum Eutropio de annis Imperii ejusdem Augusti, arbitratus est, annos duos, menses octo ejusdem Eutropii sumendos esse a tempore, quo ille Romam venit. Hinc si a die, qua interfectus est Elagabalus, quam ille statuerat undecimam, vel decimam mensis Martii an. Ch. 222. retrocedendo enumeremus annos duos, & menses octo, in ipsum initium Julii an. 219. incidimus.

Stat igitur, adventum Elagabali in Urbem conferendum esse in mensem Julium anni U. C. 972. Chr. 219. Nobis vero, ut auctoritate Valsechii ipsummet Valsechium revincamus, quod infra erit exponendum, satis est, si Elagabalus

post

post mensem Aprilem Romam advenerit. Nam Vir eruditus non uno loco eam sententiam amplexus est, & Systemati suo accommodavit, non animadvertens id in sui perniciem aliquando cessurum. Erit pretium operæ ejus verba ex pag. 106. huc transferre. *Elagabalus*, inquit, *deducto Imperii initio a mense Aprili anni* U. C. 970. *cum Romam* POST MENSEM APRILEM *anni* U. C. 972., *postquam scilicet Nicomediæ hiemasset, ibidemque turbas aliquot adversus se excitatas compescuisset, advenit, annum tertium sui imperii jam numerabat*. Post adventum suum Elagabalus dedit populo Congiarium: quod expressis verbis testatur Herodianus lib 5. cap 5. *Quapropter*, inquit, *ut in urbem pervenit, nihil scilicet novum Romani viderunt, insueti jam picturæ. Diviso igitur* CONGIARIO *in populum, ut mos est imperium* INCIPIENTIBUS. Congiarii hujus memoria consignata apparet in primo nummo a Valsechio, ut diximus, laudato, quem ipse verbis Vaillantii, quæ nunc repeto, ita describit: *Imperator in substructione sedet cum Liberalitate stante, scuncula scalam ascendit*: Epigraphe sic se habet: LIB. AVG. P. M TR. P. II. COS. II. Subdit Vaillantius: *hoc primum est Congiarium Elagabali, quod postquam hiemasset Nicomediæ, & Romam advenisset in secunda tribunicia potestate populo dedit*. Et certe hæc *Liberalitas*, quamquam non numerata, non alia quam prima esse potest, quia convenit cum Consulatu II. quem inivit Elagabalus Kal. Januariis U. C. 972. Vel si quælibet alia diceretur, semper verum esset, post ejus adventum, & infra annum illum Consulatus secundi contigisse, Alia numisma-

mata a Valfechio indicata, ut fupra memoravi, ex Occone, & Vaillantio, *fecundum Congiarium* Elagabali continent, diftributum decurrente ea dem Tribunicia Poteftate *fecunda*, ut eorum hæc communis infcriptio docet: LIBER. AVG. II. P. M. TR. P. II. COS. II. *Congiarium* hoc *fecundum* recte monet idem Vaillantius datum fuiffe ob nuptias cum Cornelia Paula, *in quibus nuptiis*, ait Xiphilinus, *nonnulla largitus eft Elagabalus non folum Senatorio, & Equeftri ordini, fed etiam Senatorum uxoribus. Plebi aureis fex epulata eft viritim, milites hoc amplius quatuor.* Quod cum vero fit admodum fimile, propterea Corneliæ Paulæ matrimonium nequit differri ultra hunc annum U. C. 972., quia celebratum eft in fecundo Elagabali Confulatu.

Alia numifmata non defunt, quibus confirmatur adventus Elagabali decurrente *fecunda* Tribunicia Poteftate. Unum defcribit Mediobarbus pag. 312. aliaque fimilia extare teftatur, in quibus legitur, *Fortuna redux*, cum hac infcriptione: P. M. TR. P. II. COS. II. Typum Fortunæ reducis, quo mulier repræfentabatur dextera temonem, finiftra cornucopiæ gerens, tunc monumentis confignabant Romani, cum Imperator primum in Urbem adventabat, vel abfoluta expeditione aliqua, incolumis redibat. Itaque hifce nummis gratulati funt profperum Elagabali adventum, qui, ut fæpe diximus, cum exacto Aprili U. C. 972. contigerit, manifeftum fit, tunc fuiffe in curfu Tribuniciam ejus poteftatem *fecundam*. Nec alius adventus præter hunc defignari potuit nam E-

lagabalus tum primum in Urbem advenit, neque postea unquam ab ea excessit.

Hæc omnia eo spectant, ut probatum esse liqueat, Elagabalum advenisse Romam post mensem Aprilem, nimirum circa Julium, anno ab U. C. 972. Chr. 219. atque in sui adventu, & cum postea Congiaria duo populo distribuit in Consulatu secundo, nempe eodem an. 219. numerasse Tribuniciam Potestatem II. vel imperii annum secundum. Hæc vero eadem perspecta & nota cum essent Valsechio, nequeo non mirari, cur is scribere non dubitaverit pag. 103. & 106. Elagabalum, *tum Romam post mensem Aprilem anno* U. C. 972. *advenit*, *annum* TERTIUM *sui imperii* jam numerasse. Noverat enim, ut hæc ipsa ejus verba ostendunt, eundem Imp. accessisse ad Urbem post Aprilem mensem: noverat, pro sua in rebus antiquis peritia, non potuisse Congiaria distribui nisi post eundem adventum. & demum viderat, & tractaverat nummos exprimentes Congiaria cum Trib. Potestate *secunda*; eosque in præsenti, quo tum versabatur periculo, in sui tutelam vocaverat.

Ex his tandem omnibus consequitur, quod erat mihi demonstrandum, verum nequaquam esse posse, Elagabalum *imperii sui initium a morte Antonini Caracallæ deduxisse*. Nam si putati essent ejus anni ab hoc initio, nempe a die octava Aprilis U. C. 970. qua die obiit Caracalla, *secunda* Potestas desiisset eadem die octava Aprilis U. C. 972, & exinde cœpisset numerari *tertia* ut sibi persuaserat Valsechius. At quoniam, uti tot numismatum testimonio luculen-

ter

tes est probatum, post Aprilem ejusdem anni 972. non labebatur Tribunicia Potestas *tertia*, sed utique *secunda*, propterea ipsemet Elagabalus nullo pacto exorsus est annos suæ Tribunitiæ Potestatis, & Imperii *ab interitu Caracallæ*; Quare novum Valsechii Systema undequaque falsum est, & falsa ejus quoque ratio, ab eodem Systemate petita, explicandi Tribuniciam Potestatem V. in nummis Elagabali expressam; quod erat propositum Dissertationis suæ eruditissimæ argumentum. Ceterum quod ille putavit, adventum Elagabali conjunctum esse cum anno Imperii tertio in nummo quodam Corneliæ Paulæ, quamvis eum falli ex dictis satis abunde pateat, accuratius tamen capite sequente demonstrabo.

Rem addam plane incredibilem, si verum esset Systema Cl. Valsechii. Si Elagabalus numerasset Tribuniciam Potestatem suam a die VIII. Aprilis A. U. 970, illamque instaurasset eadem die in annis subsequentibus, cogeremur dicere, nullum numisma cum notis Consulatus, & Tribuniciæ ejus potestatis percussum fuisse per septem & viginti menses ejus Imperii, vel certe nullum ex iis, in hoc temporis intervallo conflatum, ad nos pervenisse. Si enim ejusmodi nummos haberemus, discreparent numeri Tribuniciæ Pot. a numeris Consulatus, hujusque numeri minores essent, quam numeri Tribun Potestatis. Anno U. C. 972. suscepit Elagabalus Consulatum II. ac totum illum annum eadem nota insignivit. In Valsechii Systemate post diem octavam Aprilis ejusdem anni obtine-

bat Trib. Poteſtas III. ; quæ ſociata cum eodem Conſulatu II. debuiſſet decurrere uſque ad Kal. Januarias proximas. Rurſus anno inſequente 573. ab Aprili ad Januarium cum Conſulatu III. fuiſſet colligata Trib. Pot. IV. & anno 574. Trib. Pot. V. cum eodem Conſulatu III. ob alium eo anno non initum. Atqui nuſquam in universa rei nummariæ penu reperitur vel unum numiſma, quod exhibeat conjunctam Trib. Poteſtatem tertiam cum Conſulatu ſecundo, vel quartam & quintam cum Conſulatu tertio. Ergo novem ſolidos menſes in primo anno, totidem in utroque duorum inſequentium ſiluerunt monetariæ officinæ Elagabali, vel temporum invidia nobis unum aliquem ex iis nummis auro contra æſtimandum Valſechio, denegavit cum ceteroquio ad nos tranſmiſſi ſint non minus quam ſexaginta nummi apud Mediobarbum, cum TR. P. II. COS. II. & TR. P. III. & IV. COS. III. quos omnes dicendum eſſet fuiſſe cuſos in ſolis illis tribus menſibus, qui in annis memoratis ſuperſunt. Nonne hæc ad Palæphati tribunal ſunt ablegenda?

CAPUT II.

Refelluntur quæ Valsechius in suam sententiam adducit. Propterea quod Macrinus imperium Caracallæ rapuit; non ideo Elagabalus ejus annos occupavit. Exempla aliorum Imperatorum. Ita nec quia Consulatum Macrini invasit. Nummus Ægyptiacus Corneliæ Paulæ, & annus III. illi inscriptus explicantur. Hic nummus Adventum *Elagabali non significat. Quid* Pacificatoris habitus. *Eo habitu Imperatores Romam advenientes expressi: quam urbem intrabant non paludati, sed toga seu prætexta induti. Nummus Corneliæ cum altero Elagabali comparatus. Figura eidem sculpta Statuam Elagabali repræsentat: quæ cur nuda.*

ITaque si verum esse nequit Systema Valsechii, frustra sit morari mea tempora in convellendis argumentis, quibus ille suppetias ferre causæ suæ adnisus est. Quod enim evidentia facti, ut ajunt, semel falsum est, id nulla unquam ratione & ingenio imaginem veritatis induere potest. Attamen, ne quid intactum aut inexpeditum relinquam, persequi omnia atque expendere proposui, quæ præclarus Vir pro sua tuenda opinione capite sexto congessit.

Primum vero simile putat, Elagabalum de-du-

duxisse initia imperii ab interitu Antonini Caracallæ, veluti ab eo tempore sibi delati tanquam *filio* ejusdem Caracallæ, nullo habito respectu ad imperium Macrini, quem ut *invisum* omnibus redderet, in literis ad Senatum missis, apud Dionem, uti nefarium patris sui Caracallæ *proditorem* ac *interfectorem* traducit, & tanquam imperii *raptorem*, & qui prior *Imperator*, quam *Senator* fieri ausus sit. At certe non video, cur Imperator aliquis in albo Cæsarum reponendus non sit, nec ejus anni computandi, qui imperium vi & per nefas rapuerit, ac propterea expuncto ejus nomine, tempus etiam omne, quo ille principatum gessit, successori sit adscribendum. Imperium *rapuit* Otho interfecto Galba: Vitellius Othone ad mortem voluntariam adacto: quo subinde occiso, non ideo Vespasianus eorum tempora sibi vindicavit, nec imperii annos a morte Galbæ, vel Othonis numerare ausus est. Quis magis *invisus* omnibus fuit, & magis nefarie *rapuit* imperium, quam Didius Julianus? Illud enim *per VIM*, *contraque populi voluntatem*, *perque turpitudinem & dedecus emercatus est*, ut tradit Herodianus lib. 2. cap. 6: & cum venisset in Senatum, subdit Xiphilinus ex Dione lib. 73. pag. 836. postridie accepti imperii, Jano, qui erat ante fores Curiæ, sacrificaturus, uno ore conclamatum est ab omnibus, eum *rapuisse imperium*, & *parricidam* esse. Attamen Septimius ejus successor nunquam cogitavit tempus Juliani invadere, quamquam atroci eum odio prosequeretur, nec annos suos computare a morte Pertinacis, quem tamen maximo in ho-

honore habuit, sollemnique pompa, quam idem Xiphilinus describit pag. 841., inter deos retulit, sibi etiam ejus nomine imposito. Sed utique ab ipsis Kal. Juniis, qua die interfectus est Julianus, initia imperii deduxit, quod ex Pagio Valsechius ipse pag. 30. agnovit.

Ceteri Imperatores post Elagabalum novum hunc ejus morem, quem imitarentur, sane ignorarunt. Imitandus autem mos fuisset potissimum post Maximinum, in quem omnia, quæ in Macrino nactus est Valsechius, argumenta conveniunt. Ipse etenim *Imperator*, priusquam *Senator*, factus est, Alexandrum optimum Principem per summum scelus *trucidavit*, imperium *invasit*, *rapuit*, atque adeo Senatui *invisus* fuit, ut eum Senatus ipse *hostem publicum* judicaverit, &, ut *ubique feriatur*, *exuratur*, *in crucem tollatur*, ejusque *nomen* non solum a monumentis publicis, sed etiam *ab animis eradatur*, decreto suo sanxerit, & demum duos Gordianos, patrem & filium, eo adhuc vivente, Augustos proclamaverit. Quæ omnia ex variis Herodiani, & Capitolini locis sunt deprompta. At nihilominus tempora Maximini semper Fastis fuerunt inscripta. & duo iidem Gordiani, & Pupienus, Balbinusque, qui pariter eo vivo ex auctoritate Senatus imperium acceperunt, & Gordianus tertius, qui etiam potuisset, ut de Elagabalo autumat Valsechius, jure sanguinis avo Gordiano se successorem dicere, nunquam tamen annos Maximini sibi adsciscere pertentarunt. Exempla alia prætereo.

Elagabalum post susceptum Macrino interfe-

ćto

cto Imperium, Macrini nomen e Fastis anni 971., quo is cum Advento Consul fuit, expunxisse, & suum loco illius substituisse, tradiderat ex Dione Cardinalis Norisius in Epistola Consulari pag. 131. Hinc Cl. Valsechius secundum argumentum adornat, censetque, ex quo Macrinus non alia ratione Consul processerat eo anno 971. quam quod anno præcedente ad imperium fuisset evectus, ideo Elagabalum, quemadmodum eodem præcedente anno imperium non ad Macrinum, sed ad se, uti verum Caracallæ filium & successorem, pertinuisse sentiebat, ita fieri potuisse, ut Consulatum etiam anni insequentis non ad illum, sed ad se omnino spectasse contenderit.

De Elagabali nomine in Fastis ejusdem anni loco consulatus Macrini substituto alia erit differendi occasio. Interim hoc tantum repono, falsa argumentatione, quam petitionem principii vocant, usum fuisse Auctorem nostrum quandoquidem, ex quo Elagabalus ad se pertinere Macrini imperium putabat, infert ad Consulatum. Nam id sane illud est, de quo quærimus, & quod maxime probandum illi erat, Elagabalum scilicet occupasse annos imperii Macrini. Quod cum non tantum haud probaverit, sed falsum id esse satis superque a nobis fuerit demonstratum, ejus proinde argumentationem plane corruere necesse est. At his omissis, quibus ipsemet Auctor haud multum confidit, ejus vestigiis inhærendo, *numismata quoque consulamus*, quorum ille auctoritati res suas commendatas præcipue voluit.

Vail-

Vaillantius in nummis Græcis ex Museo Mauroceno profert nummum Corneliæ Paulæ prioris Elagabali uxoris notatum L. Γ. *anno tertio*, in quo, ait Valsechius pag. 101., visitur *Imperator eques Pacificatoris habitu*. Præterea ejus typum ex tuo Cimeliarchio delineatum exhibet, quem nos quoque hic damus. In nummis latinis Augustorum, subdit ille, cum Imperator Eques *Pacificatoris habitu* effertur, plerunque adponi solet epigraphe ADVENTUS AVG. quo typo, atque epigraphe sunt re ipsa apud Vaillantium nummi ejusdem Elagabali descripti. Censet ergo, hunc nummum non multo post *Adventum* Elagabali cusum fuisse, ducta jam Cornelia Paula, cum sub eo typo *Adventus* memoria expressa videatur. Porro in eo nummo inscriptus est annus *tertius* Elagabali, *quod sane*, inquit, *nostro systemati congruit, cum juxta illud Elagabalus circa tempus, quo, post hiberna Nicomediæ habita*, nempe exacto mense Aprili U. C. 972. *Romam advenit, probe* TERTIUM *Imperii sui annum attigisset*.

Non negaverim, in nummis Imperatorum plerunque, cum Imperator *Pacificatoris habitu* effertur, adpositam esse epigraphen: ADVENTUS AVG. Sed in hoc nummo Corneliæ Paulæ, quod equidem doleo, deest hujusmodi Epigraphe, & ratione summa deest. Nam neque Elagabalus *Pacificatoris habitu* in eo repræsentatur: nec nummus ipse ob ejusdem *Adventum* percussus esse potest. Utrumque ostendo. In nummis, ac statuis tunc *Pacificatoris habitu* Imperator efformatus dicebatur, cum manum dexteram protensam & elevatam ostentabat. Is enim modus

C ex-

extendendi dexteram Caduceatoribus sollemnis cum esset, eodem gestu Imperatores securitatem & pacem populis annunciabant. Quintilianus lib. XI. cap. 3. circa med. varios Oratorum gestus describens, hæc ait. *Fit & ille* HABITUS, *qui esse in statuis* PACIFICATOR *solet; qui inclinato in humerum dextrum capite, brachio ab aure protenso, manum infesto pollice extendit*. Eo gestu & habitu effecta erat Equestris statua Domitiani e Germania redeuntis, quam grandioribus versibus describit Statius Silva prima, ubi cum dixisset,

Hunc mitis commendat Eques, juvat ora tueri
Mixta notis belli, placidamque gerentia pacem,

post pauca subjicit:

Dextra vetat pugnas, ...

nempe exporrecta in modum *Pacificatoris placidam pacem*, non *pugnas* & bellum inferentis. Eodem modo dexteram protendere adhuc visitur Romæ in area Capitolii statua Equestris M. Aurelii, ipsi erecta cum victor de Quadis, & Marcomannis rediit. Nummi vero sunt frequentissimi *habitum Pacificatoris* efferentes, in quibus Imperatores vestitu militari, & dextera elata & protensa repræsentantur. Inter alios insignem unum maximi moduli non prætermittam memorare, quem primum delineatum dedit Josephus Monterchius in Numism. selectis Card. de Carpineo pag. 90. & deinde Senator Bonarota Operis antea laudati pag. 239. Tres spectantur figuræ Equestres, sive, ut primus censuit, Philipporum, Patris & Filii, & Otaciliæ illius uxoris, vel Lucii Prisci fratris, seu, ut secundus,

dus, Valeriani, Galieni, & Salonini Valeriani, cum inscriptione · ADVENTUS AVGG. Quæ quidem Figuræ manum adeo elatam, & extantem sustollunt, ut jucundissimum spectaculum præbeant. Cum vero nos de Elagabalo hic agamus, unum ejus numisma ære incisum ex Nummis Arschotanis tab. 53. nu. 14. producimus, in quo Imperator *habitu Pacificatoris* exprimitur, cum inscriptione ADVENTUS AUGUSTI, & simul etiam jam laudatum Corneliæ Paulæ damus ex typo Valsechii ad unguem descriptum, ut ex eorum inter se comparatione unusquisque dijudicare valeat, an in hoc Elagabalus *Pacificatoris* habitu sit expressus, ut eidem Auctori visum est, & an ejus *Adventum*, si Diis placet, significare possit.

Figura illa in nummo Corneliæ Paulæ manum quidem protendit, sed in ea gerit globum, atque nuda tota apparet, scipione ad humeros prodeunte, & clamyde à tergo, vel potius fascia quadam volitante. At componamus hunc

C 2 Ela-

Elagabalum cum Elagabalo altero juxta posito, qui vere *Pacificator* est, & *Adventum* ejus præmonstrat. Viden', ut hic dexteram manum elevet, nihilque in ea gestet, qua quidem manu vacua semper *Pacificator* effingitur: ut probe indutus sit vestibus militaribus, paludamento scilicet & tunica, seu thorace: & demum ut hastam, non scipionem gerat? Illud enim militare indumentum Augustorum in urbem advenientium erat proprium, ut non solum numismata oculis fidem faciunt, sed Historici quoque scriptis suis testantur. Galba Romam cum venit, *iter ingressus est paludatus*, & Vitellius etiam ipsam *Urbem ad classicum introiit paludatus*, ut tradit Svetonius de eorum vitis, capite utrobique undecimo. At quidem paludamento licebat uti tantum extra Urbem: nam Imperatores eam ingressi prætextam seu togam sumebant. Quare Svetonius ita intelligendus est, ut Vitellius ante introitum dumtaxat paludatus processerit: vel, ut ita voluerit introire, dein ab amicis deterritus fuerit. Id enim Tacitus diserte tradidit lib. 2. hist. cap. 89. *Ipse Vitellius*, inquit, *a ponte Milvio insigni equo, paludatus accintusque, Senatum populumque ante se agens, quo minus ut captam urbem ingrederetur, amicorum consilio deterritus, sumta prætexta, & composito agmine incessit*. Et Severus e Pannonia Romam veniens ad capessendum Imperium, *cum sedisset in equo usque ad portas Urbis amictus veste equestri, inde urbana indutus pedibus introiit*, ut scribit Xiphilinus initio lib. 74.

Viderat Valsechius in nummis Græcis Vaillantii pag. 131. hunc ipsum Corneliæ Paulæ nummum

mum ab eo sic descriptum : *Imperator eques Pacificatoris habitu* ; atque in ejus statim verba juravit, credidítque figuram nummo insculptam esse Elagabalum *Pacificatorem* in Urbem adventantem. Eum nummum Vaillantius in margine, ut solet, testatur esse ex Museo Mauroceno. Atqui Patinus, qui illud idem Museum tractavit, atque ejus numismata omnia singulari libro nobis descripta reliquit, cum nummum hunc Corneliæ Paulæ profert pag. 132. nil quidem de *Pacificatoris habitu*, sed hæc tantummodo verba habet. IMPERATOR EQUES. Quare Vaillantius de suo *Pacificatorem* addidit, non viso nummo: vel si illum fortasse vidit, certe deceptus est, & eum sequutus Valsechius, ut plane constat ex typo Musei Theupoliani

Quocunque igitur V. C. rem vertat, effecerit nunquam, *equestrem* illam figuram in aversa parte nummi Corneliæ Paulæ repræsentare Elagabalum *Pacificatoris habitu* advenientem Romam. Et profecto Civitatem Græcam, seu Ægyptiam, in qua sculptum est hoc numisma, cogitasse de *Adventu* Imperatoris in Urbem non est verosimile. Quare L. Γ. *annus tertius*, in eodem nummo obsignatus, referri nequit ad Elagabali *Adventum*, nec novo Systemati de ejus imperii initio ab interitu Caracallæ aptari.

Si quis vero ex me quærat, quid tandem esse putem figuram illam *Equestrem*, dicam quod sentio. Primum haud dubito, eam esse Elagabali, cum ob globum, de quo postea, tum etiam quia coronam gestat in capite. Itaque figura illa repræsentat *Statuam* equestrem Elagabali,

quam

quam cum urbs aliqua, & quidem Ægyptia, ut capite sequente ostendam, eidem dicasset, facti memoriam nummis suis consignavit atque ut simul Corneliæ Paulæ adularetur, ejus effigiem nummis ipsis imposuit. Id ex eo conjicio, quod nuda est: nam Græci artifices pleranque statuas nudas effingebant, ut Antiquariis notum est, & Plinius lib. 34. cap. 5. loquens de statuis ait, *Græca res est nihil velare*. Globus, quem manu elatum gestat Elagabalus, *orbem terrarum* significat, cujus ille imperium obtinebat. Passim hoc Symbolo insignita numismata observamus, inter quæ unum duntaxat ejusdem Imperatoris, quoniam de eo sermo est, indicabo apud Mediobarbum pag. 301. in quo Imperator dextra *globum*, sinistra *hastam* ostentat, cum Epigraphe RECTOR ORBIS: In nostro scipionem sinistra gestat, fortasse ad Consulatum ejus denotandum, cujus insigne scipio est. Nam Elagabalus Consul erat tam anno Ch. 219. quam 220. quos utrinque attingit annus ejus imperii *tertius*, secundum morem computandi Ægyptiorum, de quo postea disseremus.

CA.

CAPUT III.

Nummi uxorum Elagabali cum notis annorum Imperii explicantur. Exponitur modus, quo eos nummos Valsechius interpretatur, & matrimonia earundem uxorum disponit: & rejicitur. Nova alia methodus profertur. Diversa inter urbes Asiæ, & Ægypti signandi in nummis Epochas annorum ratio. Numismata conjugum Elagabali Ægyptiaca. Annus apud Ægyptios duplex, vagus, & fixus. Unde nummi annos Imperatorum exordirentur, & quomodo computarent? Nummi Galbæ, Hadriani, L. Veri, & Otacilia secundum morem Ægyptiorum explicati. Hinc etiam nummi uxorum; quarum matrimonia per annos imperii Elagabali rite digeruntur.

Post hæc seriem chronologicam uxorum Elagabali Valsechius texit: qua se putat maximum præsidium Systemati suo concinnasse. Et sane idonea esset, & *perquam commoda* ratio ab ipso adinventa collocandi earundem uxorum matrimonia, si nihil ipso in limine offenderemus, quod in præceps labi nos cogeret. Proferam igitur ejus sententiam, & refutabo: deinde novam explicandi nummos uxorum Elagabali, annosque imperii in iis notatos methodum proponam.

Præter nummum Corneliæ Paulæ signatum

L Γ.

L.Γ. *anno tertio*, quem ante tractavimus, alium ejusdem Augustæ apud Vaillantium laudat noster Auctor, inscriptione L. Δ. *anno* IV. subditque locum Herodiani l. 5. c. 6. in hæc verba: *Duxit uxorem illustrissimam Romanam feminam, quam etiam Augustam appellavit: cumque ea tamen* PAULLO POST (μετ' ὀλίγον χρόνον) *divortium fecit, ademtisque honoribus privatam colere vitam jussit*. Cum vero, inquit, uxorem hanc duxisse non potuerit Elagabalus ante mensem Junium anni U.C. 972., quo Romam advenit, si annos in prædicto nummo obsignatos a mense Junio an. 971., quo, in fugam conjecto Macrino, omnem potestatem adeptus est Elagabalus, dinumeremus, is procul dubio Corneliam Paulam non ὀλίγον χρόνον, ut testatur Herodianus, sed duos annos ad minus, usque ad mensem nimirum Junium 974., quo quartum Imperii annum inchoavit, retinuisset. Hinc ille nummum Aquiliæ Severæ, quam Elagabalus post Corneliam sibi adsciverat, typis expressum, producit: in quo hæc nota numeralis visitur. L. Δ. *anno quarto*. *Aquiliam quoque*, ait statim Herodianus, *paulo post dimisit*, *tertia uxore ducta*, *quæ referre genus suum ad Commodum dicebatur*, Annia nimirum Faustina, cujus nummum supra exhibuerat signatum L. E *anno quinto*. Post Anniam *aliam etiam*, *atque aliam duxit*, *ac deinde ad Severam rediit*, inquit Xiphilinus ex Dione. Cujus ad Severam regressus testem nummum alium advocat cum L. E. *anno quinto*.

Tot itaque matrimonia recte negat Valsechius conciliari posse juxta vulgatas hucusque scriptorum opiniones de initio, & excessu Elagabali,

cum

cum his Anniæ Faustinæ, & Aquiliæ Severæ numismatibus. Nam explicaverit nunquam Mediobarbus, eumque sequutus Vaillantius, ut ipse ratiocinatur pag. 50., qui fieri potuerit, ut cum Annia Faustina tertia Elagabali uxor extiterit, sineque illius nummi anno quinto imperii Elagabali obsignati, intra mensem Junium anni U. C. 975. Ch. 222 quo quintum imperii annum attigit, & mensem Septembrem, quo, ut iidem Auctores censent, interfectus fuit, tam brevi scilicet trium mensium spatio duo alia conjugia inierit, ac demum ad Severam redierit. Eadem difficultas premit quoque sententiam Pagii, qui statuit ab initio saltem A. U. 971. Ch. 218. Elagabalum annos suos numerasse. Si enim, loquitur ipse Valsechius pag. 61., initio anni U. C. 975. Ch. 222. quintum annum inchoavit, cum mense postea Martio ejusdem anni occisus fuerit, *tot certe conjugia intra bimestre illud spatium contrahere non potuisset*.

Recte quidem, & summa ratione nodos hos nexuit clarissimus Auctor, & probe vidit difficultates, quibus aliorum sententiæ in collocandis Elagabali conjugibus laborant. Recte etiam ab iisdem difficultatibus sese explicasset, si verum esset principium, quod in hoc negotio expediendo sibi proposuit. Ait itaque pag. 105. si ab interitu Caracallæ Aprili mense U. C. 970. computentur anni Elagabali, potuit sane ipse Elagabalus mense Aprili 973., delibato jam quarto anno imperii prædictis nummis inscripto, Corneliæ Paulæ consortio adhuc frui, eaque postea repudiata, post decem nimirum conjugalis consuetudinis

D men-

menses (quod ὀλίγον certe tempus ab Herodiano vocari potuit) ad aliud cum Aquilia Severa connubium transvolare. Quod vero ad alia matrimonia spectat, ita rem componit. Deducto imperii Elagabali initio ab eodem mense Aprili 970. Elagabalus ipse, cum Romam advenit, annum tertium sui imperii jam numerabat. Corneliam itaque Paulam statim duxit, & retinuit ad Aprilem usque anni 973. Hinc Aquiliam adscivit postea Faustinam, cumque illa versatus est usque ad Aprilem 974. Ab eo autem tempore ad mensem Martium an. 975., quo occisus est Elagabalus, recte potuit fieri, ut duo alia matrimonia contraxerit, postremoque ad Aquiliam redierit.

Certe satis amplum idoneumque locum singulis hisce Augustis Valsechius paravit, ut illæ se in angustas sedes conjectas esse, minusque dignitati congruentes queri nequeant. Atque ego libentissime manus darem, si verum esset Systema, quo innixus est eruditus Auctor in hac earundem uxorum Elagabali serie ordinanda. Sed undequaque falsum illud esse supra probavimus, nummosque exploratæ fidei produximus, quibus Elagabali annos a Caracallæ excessu deduci non posse, demonstratum est. Proinde fieri nequit, ut nummus memoratus Corneliæ Paulæ, cui adscriptus est *annus tertius*, aptari possit Elagabali in Urbem adventui post mensem Aprilem U.C. 972. nam tum temporis, ut ostensum est, nequaquam ipse Elagabalus numerabat annum *tertium* imperii, quod tamen pro fundamento suæ chronologiæ uxorum Auctor sumsit, sed utique numera-

bat

bat *fecundum*. Hinc consequitur, annum *quartum* in alio ejusdem Corneliæ nummo signatum perperam fuisse colligatum cum mense Aprili anni insequentis 973. nam tunc annus *tertius* duntaxat decurrebat. Rursus ob eandem caussam numismata Faustinæ cum anno *quinto* pertinere nequit ad Aprilem ann. 974. quia hoc mense annus erat Elagabali *quartus*. Denique ex his omnibus spatium illud ab eodem Aprili an. 974. ad Martium 975., intra quod spatium tres postremæ uxores perquam commode collocatæ erant, plurimum mensium dispendio decurtari, & Augustas illas ad primores, in quibus olim versabantur, temporis angustias redire necesse est.

Ceterum cum nec modus explicandi seriem chronologicam uxorum Elagabali a Cl. Vaillantio excogitatus verus esse possit, quia falso innititur fundamento, nec via alia ab Eruditis huc usque fuerit proposita, qua difficultates in iisdem uxoribus idonee collocandis subnascentes evellerentur, ponam ego aliquid, quod fortasse rem definire, & nodum hunc implicatissimum expedire, & certa ratione, ni mea me fallit opinio, dissolvere & extricare possit.

Epochas temporum duobus modis potissimum in Græcis Numismatis signatas observamus. Pleræque urbes Asiæ ab insigni aliquo cardine, puta a tempore quo eis ab Augustis Autonomia, vel aliud maximum beneficium delatum fuit, annos suos auspicabantur. notam que numeralem ejus anni, quo nummus cudebatur, ab illo exordio deductam exarabant. Infinitos ferme ejusmodi nummos videre est apud

D 2 An-

Antiquarios celeberrimos, Card. Norisium, qui in libro de Epochis Syromacedonum ingentem eorum numerum produxit, & doctissimis commentariis illustravit, Harduinum de Nummis populorum, & urbium, & Vaillantium de Coloniis Græcis, qui quotquot in toto opere Imperatorum numismata Epochis diversarum urbium notata inseruerat, in unum postea locum conjecit & explicavit. Mos alius apud Ægyptios viguit, qui nummos suos non urbium Epochis, sed annis imperii Principum insigniebant, quos annos nota hac compendiaria L. demonstrabant, ut L. A. *anno primo*, L.B. *anno secundo*, ut in iis, quos retulimus, uxorum Elagabali nummis apparet. Numismata ejusmodi charactere cum annis imperii exornata in Ægypto cusa fuisse, præter doctissimorum hominum testimonia, ut Norisii eodem opere dissertat. 4. cap. 1., Pagii in Crit. Baron. ad annum 69. num. 3. & Vaillantii de nummis aur. & arg. in Poppæa pag. 73 & alibi, illud plane ostendit, quod plerunque in iis scalpta conspiciuntur Ægyptiorum monstrosa numina, & alia ad eosdem pertinentia Symbola ac signa, ut Canopus, Isis, Serapis, Orus, Nilus, Ægyptus, Sphinx, Ibis ut cetera omittam, quæ prostant inter alios præcipue apud Patinum de Numism. Imperatorum, & in Thesauro Mauroceno a pag. 112.

Annum suum Ægyptii diebus CCCLXV definiebant quo dierum numero in duodecim tricenarios menses distributo, supererant adhuc quinque dies Epagomenarum, quos in fine anni in-

ter-

tercalabant. Cum vero quadrantem diei, vel sex horas, quæ singulis annis abundant, negligerent, fiebat, ut quarto quoque vertente anno caput anni, seu Neomenia mensis Thoth, a quo annum auspicabantur, in anteriora recederet uno die, & in annis 1460. Julianis, seu Ægyptiacis 1461. ad suum principium revolveretur. Qua de caussa annus *vagus* appellatus est. Hunc anni modum ideo servabant Ægyptii, ut Deorum Sacra, quotannis recedendo, singulas anni tempestates peragrarent. Anno altero postquam bellatum est apud Actium, cum Octavianus Cæsar victor Alexandriam ingressus esset, ad facti memoriam propagandam institutum est, ait Dio lib. 51. pag. 457. *ut dies, quo Alexandria capta est, festus haberetur, ab eoque numerandorum deinceps annorum initium sumerent*. Is dies fuit XXIX. Sextilis mensis, qui postea Augustus dictus est, anno U. C. 724 in quem diem cum eo anno Neomenia Thoth vagi incurreret, ea tamen ratione quam explicat Petavius de doctrina Temporum lib X. cap. 73., proinde annos suos civiles Alexandrini ab eodem die XXIX. Augusti auspicati sunt, & repudiata methodo anni vagi, formam anni Juliani adoptarunt. Hinc Neomenia Thoth, seu primus anni dies cum amplius evagari non permitteretur, annus *fixus* Ægyptiorum, seu Actiacus, ob victoriam Octavii, appellari cœpit. Porro Mathematici nihilominus rationem anni vagi retinuerunt, ut observationes suas ad annos Epochæ Nabonassari aptarent: cujus rei exempla passim suppetunt apud Ptole-

meum

mæum in Magnæ Constructionis libris.

Ergo Alexandrini uti annum suum civilem a Neomenia Thoth fixi, seu a die XXIX. Augusti ordiebantur, ita annos Principum ab ipsomet Thoth numerabant. Hoc imprimis docet exemplum Astronomorum, quos certum videtur exordia Principum a Thoth vago eorum inaugurationem antecedente deduxisse, ut non levibus argumentis probare possem, si locus & instituti ratio id paterentur. In anno quoque populari fixo morem eundem observatum liquet ex nummis quibusdam Ægyptiacis, qui non alio commodiore modo explicari queunt, quam si anni Imperatorum iis inscripti ad Thoth referantur. Antonius Pagius in Critica Baron. ad annum 69. num. 3. a viris eruditis notatum ait, Alexandrinos non numerasse annos Imperatorum a die natali eorum Imperii, ut mos erat Romanorum, sed a Neomenia Thoth fixi, hoc est a die XXIX. Augusti: ita ut si quis ante eam diem fuisset Imperator salutatus, nummi cuderentur cum anno primo usque ad diem eandem 29. Aug. & exinde cum anno secundo: atque hoc modo explicat nummos Ægyptiacos Galbæ cum L. B. *anno secundo*, & Hadriani cum L. K. B *anno* XXII. Ratio hæc computandi annos Imperatorum apud Alexandrinos tum ex laudatis nummis, tum ex aliis nondum in hanc rem prolatis, est mihi accuratius discutienda, ut viam expeditam parare possim ad explicationem numismatum uxorum Elagabali, quod in præsentia est a nobis susceptum argumentum

Tres

Tres nummos Ægyptios Galbæ cum L. B. *anno secundo* contrectare mihi contigit in celeberrimo tuo Museo, quos cum etiam, ut ære inciderentur, humanissime permisisses, in subjecta tabella profero.

Horum alter inscriptus, ΕΛΕΥΘΕΡΙΑ, *Libertas*, extat etiam in Cimelio D. Begon, & ex argento mixto in Thesauro regio, uti testatur Harduinus

nus in historia Augusta nuper edita Amstelędami pag. 729. qui pagina sequente alium etiam describit ex Cimelio D. Foucauld *caput Isidis cum loto in vertice* repræsentantem. Rursus unum refert Patinus in Thesauro Mauroceno pag. 113. cum *Canopo*: alterum Vaillantius de Nummis Græcis Imperatorum pag. 19. qui exprimit *caput muliebre proboscide ornatum*. Ergo apud Ægyptios, tot nummis attestantibus, Galba *secundum* Imperii annum ingressus est. Galba rerum summam accepit die nona mensis Junii an. Chr. 68., si ejus initium a morte Neronis deducatur: decessit anno insequente die 15. Januarii. Quare Imperium tenuit menses septem, dies septem: quod quidem regni tempus eidem tribuit Josephus lib. 5. de bello Jud. cap 6. Itaque Alexandrini tempus illud, quod a die nona Junii ad vicesimam octavam Augusti exeuntem defluxit, pro anno imperii primo cum computassent, & a die insequente XXIX prima Thoth fixi annum alterum numerare cœpissent, ideo hisce nummis Galbæ annum *secundum* obsignarunt.

Idem Vaillantius de Nummis aureis & arg. pag. 80 alterius editionis, recitans nummos Galbæ cum *anno secundo*, primum eos hac ipsa ratione explicari posse ait, dein quorundam sententiam memorat, qui existimarunt, septem menses imperii Galbæ ex ejus Romam ingressu tantummodo numerari: sed in Hispania sex alios menses imperasse, atque ideo Ægyptios *annum secundum* in ejus nummis conscripsisse. Fundus hujus opinionis, uti arbitror, ab Onuphrio pe-

ti-

titus est, qui lib. 2. Fastorum Galbæ defectionem in Hispania in annum Ch. 67. conjecit. At eum falli, certis argumentis ab Epistola Card. Norisii mutuatis, evincit Pagius ad an. 68. num. 1. Porro nequit Imperium Galbæ in Hispania ultra duos menses proferri. Xiphilinus ex Dione lib. 64. pag. 731. & Cedrenus pag. 178. edit. G. L. Basileensis, tradunt regnasse *menses novem, dies tredecim*. Quem numerum mensium & dierum certissime a primordio imperii Hispaniensis, cum a militibus acclamatus est Galba, deduxerunt, uti capite sequente ex more a Dione observato ostendam. Mortuus est Galba die XV. mensis Januarii Æræ communis LXIX. a quo die retrocedendo cum mensibus novem, & diebus tredecim, ejus proclamatio in diem secundum mensis Aprilis incurrit, duobus dumtaxat mensibus, & septem diebus ante Neronis obitum.

Alii, subdit Vaillantius, annum *secundum* Galbæ de ejus Tribunicia Potestate, & de solita Trib plebis postea numerata accipiunt. Fuit hæc viri Cl. Nicolai Toinardi sententia, qui arbitratus est, Imperatores principatus annos, ac Tribuniciam Potestatem a die IV. Idus Decembres cum Tribunis plebis iniisse, & menses, qui a die suscepti imperii ad IV. Idus Decembres fluxerant, pro anno computasse, eodemque die annum secundum, seu Tribuniciam Potestatem secundam inchoasse, ad eum plane modum, quem nos de Ægyptiaca putandi annos ratione a die XXIX. Augusti tradidimus. Hinc idem vir eruditus ipsos hos no-

E stros

ſtros Galbæ, & quorundam aliorum Imperatorum nummos explicabat. At Pagius ad an. 103. num. 4. & 6. & Valſechius toto capite V. hanc ejus opinionem probe refellunt. Quare, evulſis hiſce Scrupulis, manet adhuc, nummos Galbæ cum *anno ſecundo* non aliter, quam ex Ægyptiorum numerandi more expediendos eſſe.

Hadriani Numiſma extare ait Pagius notatum L. K B *anno viceſimo ſecundo*, quod idem fortaſſe eſt, ac illud, cujus ectypum delineatum præbet Patinus de Numiſm. Imperatorum pag. 197. num. 19. cum eadem nota numerali L. K B. At Harduinus in hiſt. Augusta pag. 765. ſupellectilem numiſmatum Ægyptiacorum Hadriani cum nota anni XXII. auxit. Duo extant in Cimelio D. Foucauld: quorum alterum in parte averſa præfert *Nilum juvenem*, alterum *decumbentem*: tertium habet D. Begon cum *Nili* effigie pectore tenus. quartum Theſaurus regius cum ΠΡΟΝΟΙΑ, *Providentia*, quæ *Ibin* tenet. Hunc eundem typum exhibet allatus nummus Patini. De anno emortuali Hadriani olim diſſentiebant eruditi, ſed res ſedata videtur, poſtquam Pagius in Diſſertatione hypat. pag. 30. & in Critica ad an. Chr. 138. certis argumentis, quibus dare manus cogitur Noriſius in Epiſt. Conſulari pag. 85., antea diverſæ ſententiæ addictus, demonſtravit, exceſſiſſe eodem anno 138. die decima menſis Julii. Imperium ille inierat Antiochiæ undecima die Auguſti A. C. 117. cujus anni exploratam ſedem, præter alia, obfirmat ex numo10 Tripolitarum idem Card. Noriſius de Epoch. Syromaced. diſſert. 1. cap. 2. §. 4.

aliof.

aliosque observavit in idem consentientes in Gaza Theupola vir Clarissimus Joannes Masson, ut me per literas certiorem fecit. Quare inter utrumque terminum intercedunt anni XX. menses undecim: quos plane annos & menses Hadriano consignat Dio apud Xiphilinum lib. 69. pag 797. Itaque cum is annum XXII. haud delibaverit, nequaquam explicari poterunt laudati nummi, nisi dixerimus, primum ejus annum Ægyptios numerasse a die undecima Augusti an. 117. ad Neomeniam Thoth XXIX ejusdem mensis, atque hinc secundum annum computasse. Ita annum vicesimum secundum auspicati sunt a die XXIX. Aug. anni Christi 137. intra quem diem, & decimum mensis Julii an. insequentis 138. quo e vivis ereptus est Hadrianus, cusi sunt nummi eodem charactere obsignati.

Ceterum perturbare explicationem hanc videntur binæ Inscriptiones, quæ Tribuniciam Potestatem XXII. Hadriani præseferunt. In iis enim si potuit signari annus secundus & vicesimus, potuit etiam in nostris nummis. nec ad eos extricandos opus est Ægyptios in subsidium advocare. Præterea Dodwellus in appendice ad dissertationes Cyprianicas a num. 48. Hadriano duos imperii natales tribuit, unum videlicet, cum is accepta morte Trajani Antiochiæ rerum potitus est, die XI. mensis Augusti an. Chr. 117., alterum anno antecedente die IX. ejusdem mensis, cum adoptatum eum fuisse Dodwellus arbitratur. Ita numeratis annis ab adoptione, recte procedere, ait, Tribuniciam Pot. XXII. iisdem saxis insculptam, atque eadem ratione possent

etiam explicari Ægyptiaca nostra numismata.

Sed exordium hoc Hadriani ab adoptione fictitium esse, ex eo satis evinci potest, quod Hadrianus duobus dumtaxat diebus ante obitum Trajani nuncium adoptionis suæ accepit, ut diserte tradit Spartianus de ejus vita cap. 4. Adeo autem verum est, adoptionem paullo ante obitum Trajani factam fuisse, ut aliqui prodiderint, teste eodem Spartiano, *Hadrianum factione Plotinæ mortuo jam Trajano, in adoptionem adscitum esse, supposito qui pro Trajano fessa voce loqueretur*. Et Dio apud Xiphilinum initio lib. 69. a patre suo Aproniano, qui cum Ciliciæ præesset, *res Hadriani certo cognovit*, se accepisse tradit, *mortem Trajani per aliquot dies in occulto fuisse, ut adoptio procederet*. Si ante annum adoptio sancita fuisset in Testamento, uti Dodwellus autumat, quid hæc commenta, cum satis fuisset proferre tabulas? Videsis Pagium ad an. 117. & Tillemontium in nota XXIX. Trajani, aliis quoque argumentis Dodwellum refutantes. Quod vero spectat ad Inscriptiones cum Tribunicia Pot. XXII., cum ad alia nobis properandum sit, consulere poteris eosdem Pagium in Dissertatione hypatica pag. 30. & Tillemontium ad Hadrianum not. XIX.

Alia exempla, quæ ex nostra observatione adjicimus, eaque, ut videtur, explorata, hæc sunt. Patinus in sæpius laudato Thesauro Mauroceno pag. 126. nummum L. Veri ita inscriptum producit: L. . . . ATOY. quam lacunam ipse supplet: ΔEKATOY. *anno decimo*. Cum Gazam tuam, Senator Clarissime, inviserem, idem

hic

hic nummus in manus incidit, nota eadem, sed nullo temporis detrimento corrupta, insignitus. Quare ut fides constet, ejus ectypum delineatum exhibeo.

M Aurelius, suscepta Reipublicæ administratione post Antonini mortem, quæ incidit in diem septimam mensis Martii an. Chr. 161. L. Verum *sibi consortem fecit, dato imperio & indulta Tribunicia potestate*, ait Capitolinus de ejus vita c. 4. Consentit Dio apud Xiphilinum initio Marci. *Pesteaquam*, inquit, *Marcus Antoninus mortuo Antonino, a quo fuerat adoptatus, principatum adeptus est, statim socium & participem imperii cepit Lucium Verum.* Decessit Verus anno 169. exeunte Decembri, ut probat Card. Norisius de Epoch. Syromaced. dissert. 4 cap 1. quem sequitur Pagius ad eundem annum num. 5. Itaque annum Imperii nonum nequaquam implevit, nec poterat nummis suis annum decimum imponere. Ægyptii, qui annum ejus primum putaverant a Martio an. 161. ad Thoth Augusti insequentis, exorsi sunt annum decimum a Thoth Augusti anni 169. quatuor mensibus ante Veri obitum, atque

que ideo eundem annum decimum suis nummis obsignarunt.

Rursus apud eundem Patinum pag. 138. Otaciliæ Philippi Augusti uxoris numisma notatum reperitur, L. Z. anno VII. Philippus, interempto per summum nefas Gordiano Juniore, Imperium occupavit circa mensem Majum anni Christi 244. Variæ sunt Scriptorum de annis ejus regni opiniones. Eusebium, qui tradiderat imperasse annos septem, eumque sequutos Baronium, & Onuphrium, uno ore explodunt Pagius ad annum 249. num. 6. Pearsonius in Annal. Cyprianicis ad eundem annum num. 3. & Tillemontius ad Philippum not. 7. qui præterea eum decessisse eodem anno 249. consentiunt. De mense inter eos non convenit. Pagius pro Julio decernit. Pearsonius Augustum recipit: tertius nihil videtur definire. Regnavit ergo Philippus annos quinque, duosque vel tres menses, nec potuit pertingere ad initium anni septimi, novem fere mensium distantia. Quare nummus Otaciliæ uxoris non potest nisi more Alexandrino explicari. Primus Philippi annus exiit die 29. Augusti 244., inde cœpit alter, atque eo ordine septimi exordium incidit in diem 29. Augusti anni 249. Inter hæc tempora periit Philippus Veronæ. Cujus mortis nuncius in Ægyptum non pervenerat, cum nummus Otaciliæ anno septimo jam inito cusus est.

Jam vero, cum nummos uxorum Elagabali in Ægypto percussos fuisse constet, dubitari nequit, quin anni ejus imperii, quos illi præferunt, ad normam computandi Ægyptiacam

fue-

fuerint ordinati. Quamobrem cœperit imperium Elagabalus Junio mense anni Ch. 218. a pugna cum Macrino, vel Majo cum ab exercitu acclamatus est, ejus primus annus apud Ægyptios desiit XXVIII Augusti proxime insequentis, & exinde secundus processit, & sic de aliis. Et quoniam per singulos ejus annos eundum est, ut rite tempora uxorum, & anni in eorum nummis obsignati disponantur, placet eorundem annorum diagramma ob oculos ponere.

DIAGRAMMA ANNORUM

IMPERII ELAGABALI

APUD ÆGYPTIOS

ANNUS I.	desiit XXVIII Augusti	ANN CHRISTI CCXVIII
II.	incipit XXIX. Augusti	ANN CHRISTI CCXVIII
III.	incipit XXIX. Augusti	ANN. CHRISTI CCXIX.
IV.	incipit XXIX. Augusti	ANN CHRISTI CCXX.
V.	incipit XXIX. Augusti	ANN. CHRISTI CCXXI.
Elagabalus moritur mense Martio		ANN CHRISTI CCXXII.

Nunc repetamus nummos uxorum Elagabali, atque notas annorum iisdem inscriptas cum annis imperii ad amussim præcedentis typi expensis componamus: ut demum pateat, an earum matrimonia satis apte & idonee collocari possint. Elagabalus Romam advenit mense Julio an. Chr. 219. ut supra ostensum est: atque intra

tra hunc annum, puta mense Novembri, duxit Corneliam Paulam, si ad ejus nuptias spectat nummus cum Liberalitate, seu Congiario secundo distributo in sui Consulatu II. ut ante vero esse simile diximus. Itaque Ægyptii cum post mensem Novembrem conflaverint nummum ejusdem Corneliæ inscriptum L. Γ. *anno tertio*, qui cœptus erat die XXIX. Augusti ejusdem anni 219. alterum numisma cum L Δ *anno quarto* potuerunt obsignare initio Septembris anni insequentis 220. quo tempore apud ipsos labebatur annus Elagabali quartus, necdum Cornelia Paula abdicata. Imo contigerit ejus dimissio ante duos menses, nimirum sub exordium Julii, adhuc nummi cum anno IV. poterant in Ægypto inscribi, nondum nuncio repudii in hanc longinquam regionem delato. Hinc si a Novembri mense 219 ad Julium 220. numeremus, consurgunt octo menses · qui certe esse potest ὀλίγος χρόνος, *breve tempus*, quo Corneliam cum marito versatam Herodianus scribit, ipsomet Valsecchio judice, qui illud tempus ad decem menses produxit. At si rem ipsam, & Herodiani morem introspexerimus, non immodicam esse illam octo mensium taxationem, facile intelligemus. Exponit ille cap. primo, se historiam conscribendam suscepisse summa fide & diligentia, ut sperare possit, non injucundam fore posteritati notitiam earum rerum, *quæ multæ fuere atque magnæ haud ita longo tempore acciderunt*. Quod *tempus* declarat prope finem, *sexaginta annis* contineri. Textus Herodiani ita se habet: *γενόμενα ἐν ὀλίγῳ χρόνῳ πολλὰ καὶ μεγάλα*.

ρῶμα. Quæ ad verbum rectius sic redduntur: *rerum magnarum & multarum* BREVI TEMPORE (*ἐν ὀλίγῳ χρόνῳ*) *peractarum*. Scilicet Historicus facta comparatione annorum ducentorum, quos statim ait defluxisse ab Augusto ad Marcum, a quo historiam suam orditur, cum sexaginta annis, quos ille scribendo complexus est, tempus hoc sexaginta annorum *ὀλίγον* dici posse putavit. Ita si animum intendamus ad totum vitæ decursum, quo solet conjugalis consuetudo constare, certe octo mensium spatium, quo Elagabalus cum Cornelia mansit, *breve tempus* potiori ratione ab eodem Herodiano appellatum dignoscemus.

Dimissa Cornelia Paula, convolavit Elagabalus ad nuptias Aquiliæ Severæ; eaque etiam *paullo post*, ut ait Herodianus, abdicata, tertiam duxit, videlicet Anniam Faustinam. Hanc retinuerit usque ad exitum mensis Augusti, vel initium Septembris anni Ch. 221., potuerunt ejus nummi signari L. E. *anno quinto* Elagabali, qui tunc temporis ipsummet annum quintum Imperii apud Ægyptios auspicabatur. Ab eo autem mense Septembri ad Martium anni 222. quo Elagabalus reipublicæ bono mactatus est, recte duas alias uxores, de quibus Dio meminit, potuit sibi jungere, & demum ad Aquiliam Severam redire.

Ita concinnatis conjugum Elagabali matrimoniis, dijudicent modo Eruditi inter Cl. Valsechium, & me, quisnam nostrum potiorem ab hisce Augustis sit gratiam initurus. An ille qui idoneo quidem loco earum sedes aptavit, sed

F lu-

lubrico & inani fundamento superpositas : annos, qui non minus commode illarum seriem ordinavimus, & simul solidis, ni fallor, munimentis eam circumjecimus.

Denique ex his omnibus illud emolumentum rei antiquariæ accedit, quod nummi uxorum Elagabali eximendi sunt a controversia, quæ nunc inter Eruditos agitur, & quam Valsechius in sua Dissertatione enodandam suscepit. Afferebantur plures ejus Augusti nummi, ut diximus in limine hujus Operis, Tribunicia ejus Potestate V. signati, & duo præterea uxorum, nimirum Anniæ Faustinæ, & Aquiliæ Severæ pariter cum anno V. qui nequaquam conciliari poterant cum sententia Dionis, qui tres dumtaxat annos, & novem menses imperio ejus tribuit. Cum igitur anni earundem uxorum secundum mores Ægyptiorum explicati, non concurrant cum annis Tribuniciæ Potestatis, quia eorum primus desinit in Neomeniam Thoth XXIX. Augusti an. 218. & exinde ceteri anni procedunt, propterea *annus quintus* in nummis Anniæ, & Severæ expressus cum inchoatus fuerit a die XXIX. Augusti an. Chr. 221. ut videre est in Diagrammate paullo ante descripto, adhuc idem annus *quintus* decurrebat ineunte Martio 222. cum Elagabalus mortem oppetiit. Hoc modo explicandum est etiam numisma ipsiusmet Augusti cum eadem imperii nota L. E. *anno quinto*, apud Patinum in Thes. Mauroceno pag. 132.

CA-

CAPUT IV.

Diluuntur alia Valsechii argumenta. Sexennium Imperii Elagabali non Herodiano, sed Librariis imputandum. Dio perperam favere dicitur sententiæ Valsechii. Idem Dio annos Cæsarum a proclamatione orditur: quod exemplis Galbæ, Vitellii, ac Vespasiani fuisse demonstratur. In Græcis Catalogis Imperatorum Macrinus omissus caussæ Valsechii non suffragatur. Ita nec Orosii auctoritas: qui in temporibus tradendis passim labitur.

QUod erat præcipuum Cl. Valsechii in percommoda uxorum Elagabali collocatione præsidium, cum fuerit sublatum, percurrenda modo sunt cetera argumenta, quibus ille Systemati suo de initio Imperii ejusdem Augusti ab interitu Caracallæ opem ferre conatus est. Et primum quidem, quæ res gravissimæ atque exploratæ auctoritatis esset, Historicos duos nobilissimos & Elagabalo æquales, Herodianum & Dionem, in suam sententiam trahere satagit. Cum enim primus tradiderit, Elagabalum in imperio fuisse *Sexennium*, ille conjectat, eum computasse hoc tempus *a nece fortasse Caracallæ, a qua usque ad mensem Martium anni U. C. 975. sex plane anni fluunt Juliani utrinque incompleti*. At quid fiet illi anno Imperii, quem ipsemet Val-

fechius initio capitis primi scribit ab Herodiano fuisse tributum Macrino? Modo regni Macrini tempus, Valsechio judice, computat Herodianus mox illud ei aufert, & cum annis Elagabali confundit. Si ita esset, & si Herodianus cum annis Elagabali conjunxisset annum illum, quo vere regnavit Macrinus, nonne nos præmonuisset, se, cum sex annos adscribit Elagabalo, eos a morte Caracallæ, nullo Macrini respectu habito, deduxisse? Aliter nos male deceptos gravissimus Historicus dimisisset. At quis Valsechio divinationem illam *de annis utrinque incompletis* suggessit? Haud certe Herodianus ipse, qui in recensendis annis superiorum Principum nequaquam utitur ejusmodi annis utrinque incompletis. Septimio Severo ille tribuit annos *duodeviginti*, lib. 3. cap. ultimo. Atqui si ejus Imperium annis utrinque incompletis esset definiendum, annos undeviginti complecteretur: regnavit enim Severus a Kal. Junias æræ vulgaris 193. ad diem IV. Februarii 211. Caracallam ejus filium idemmet Historicus lib. 4. cap. 13. *sexennium tantum* imperasse tradit. Quod certe Sexennium ex annis utrinque incompletis non constat, quia a die eadem IV. Februarii an. 211. ad diem VIII. Aprilis an. 217. constantur septem hujusmodi anni. Demum Macrino imputat Herodianus *annum unum* lib. 5. cap. 2. & 3. At si calculus ex annis utrinque incompletis iniretur, duo anni emergerent, cum Macrinus regnaverit ex die XI. Aprilis ejusdem anni 217. ad diem VI. Junii an. 218. insequentis.

Ergo certum esse debet, *sexennium* illud Imperii

rii Elagabali non Herodiani esse, sed Librariorum, qui textum incogitanter depravarunt. Non unum ejusmodi mendum in hunc Historicum irrepsit. Consule Pagium in Critica ad an. 221. num. 2. & ad annum 228. num. 4. Itaque Herodianus, uti ego quidem censeo, scripsit Elagabalum occisum fuisse *εἰς τέταρτον ἔτος ἐλάσας τῆς βασιλείας*, *in quartum annum imperio gradu-cto*: Notarii autem pro *τέταρτον quartum*, *ἕκτον sextum* substituerunt. In hanc sententiam eo potissimum feror, quod nemo unus est inter Græcos Scriptores, qui *sexennium* imperasse Elagabalum tradiderit, ut sit prorsus incredibile, si ita scripsisset Herodianus, neminem repertum, qui Historicum adeo illustrem, & maximæ inter Græcos auctoritatis & nominis, ut testatur Photius in Biblioth. cod. 99, atque ipsi Elagabalo æqualem, in tradendis annis ejusdem Cæsaris sequi voluisset. De Latinis eadem est ratio. At vero contra iidem Græci fere omnes Elagabalo tribuunt *annos quatuor*. Ex quo apparet, non aliunde illos hausisse annorum hunc numerum, quam ab Herodiano: quem numerum plenum maluerunt ab ipso exscribere, quam sese in Dionis mensibus & diebus implicare, præter Zonaram, Cedrenum, & Glycam, qui Dionem ad unguem reddunt. Ita etiam ab Herodiano annum unum Macrini Græci Scriptores traxerunt, neglecto pariter Dione, qui præterea menses duos addit, demtis tribus diebus. Subtexam catalogum Græcorum, qui *quadriennio* imperasse Elagabalum tradunt. Eusebius histor. Eccles. lib. VI. cap. XXI. & in Chronico ad Olympiad. ccl1x.

CCXLIX. Epiphanius de ponderibus & mensuris pag. 570., ex quo corrigitur numerus annorum duorum, qui scribitur in Anchorato pag. 522., Auctor Chronici Alexandrini, Georgius Syncellus in Chronographia, S. Nicephorus C. P. in Cronographia compendiaria, Nicephorus Callistus lib. V. cap. XVII. Fasti Heracliani apud Dodwellum in appendice ad Dissertat. Cyprianicas pag. 31. Auctor Canonis Imperatorum apud eundem pag. 25., & alter Canon penes Scaligerum de emendatione temp. lib. VII. pag. 743. Catalogus Imperatorum apud Sylburgium in fine Romanæ hist. Scriptorum Græcorum minorum.

Inde Valsechius, ut Dionis quoque suffragium sibi afferat, ejus hæc verba refert. regnavit Elagabalus *annos tres, menses novem, & dies quatuor, si quis a prælio, quo omnem potentiam adeptus est, id tempus numerarit*. Scilicet ideo, inquit ille, expressit Dio, se annos Elagabali deducere a pugna cum Macrino, *quia alio etiam tempore, a Caracallæ nimirum interitu, ejus imperii initium repetebatur*. Ita Dionem ad inania traducit, cum Dio in rem solidam & veram certissime digitum intenderit. Nimirum quia paullo ante narraverat, Elagabalum astu & opera Euthychiani a militibus die decima sexta Maii proclamatum fuisse Imperatorem, necessarium duxit, cum annos ab eo actos in imperio computabat, se eos non petere ab hac proclamatione, sed a pugna cum Macrino, declarare. Rem ita gestam describit apud Xiphilinum, lib. 78. pag. 888. *Euthychianus cum statuisset Macrinum occidere,*

&

& Lupum Mesæ nepotem, nempe Elagabalum, *potenti adhuc pro eo Imperatorem facere, simul hunc esse Tarantis*, scilicet Caracallæ, *spurium filium, ornatumque veste, qua ille usus fuerat puer, noctu, matre & avia inscientibus, ad exercitum duxit*. & XVI. *Kal. Junii* (imo XVII. nimirum decimo sexto Maii, nam in Græco est, τῆς τῦ Μαΐυ ἑκκαιδεκάτης) *prima luce militibus quærentibus studiose occasionem rebellandi persuasit, ut res novas molirentur. Quo facto, milites statim hunc nominant Antoninum, & IMPERATOREM designant*. Verba hæc omnia Xiphilini recitaverat Valsechius pag. 60. Cum vero pag. 7. tradidisset, Elagabalum Imperium, & Tribuniciam Potestatem primum suscepisse mense Junio anni U. C. 971. in fugam conjecto Macrino, statim subdit: *seu mavis die sextadecima mensis Maii ejusdem anni, qua, ut ait Dio apud Xiphilinum, a militibus in Phœnicia acclamatus fuit Imperator*. Quod initium imperii Elagabali ab acclamatione cum esse sciret apud Dionem Vir eruditus, mirum est profecto, non etiam vidisse, Dionem ipsum respexisse ad hoc initium, non vero ad fictitium illud, quod nunquam somniavit Dio, ab interitu Caracallæ.

Sed accuratius quærenda est caussa, cur Dio præmonuerit, se annos Elagabali desumere a tempore, quo pugnatum est cum Macrino, ut eo amplius appareat, nequaquam posse consistere Auctoris nostri sententiam. In more hoc habuit Dio in historia sua, cum annos eorum Cæsarum recenset, qui ab exercitu, vivente adhuc alio Principe, & in novum nondum omni coalita potestate, Imperatores fuerunt designati,

ut

ut eorundem primordia ab hac ipsa designatione ordiatur. Quare nisi in Elagabali annis tradendis præmonuisset, se a nece Macrini eos computare, facile locum dubitationi aperuisset, num potius ejusdem Elagabali exordium sumtum esset a prædicta die XVI. Maii, qua fuerat Imperator proclamatus ut in aliorum putandis annis consueverat. Hunc autem Dionis morem, singulos Imperatores ab eo memoratos, qui vivente alio Principatus insignia occuparunt, percurrendo luculenter expono.

Primus omnium Galba vivo alio Principe, scilicet Nerone, ab exercitu in Hispania fuit salutatus Imperator, *evulgato*, ut ait Tacitus lib. 1. hist. cap. 4. *imperii arcano, posse Principem alibi, quam Romæ, fieri*. Dio apud Xiphilinum pag. 529. de Galba inquit: *Vixit annos septuaginta duos: regnavit menses novem, dies tredecim*. At Josephus lib. 3. de bello Jud. cap. 6. edit. Frobenii 1567. imperasse tradit tantummodo *septem mensibus*, & totidem *diebus*, cui Victor uterque plane consentit. Unum tantum diem demit Tertullianus adversus Judæos cap. 8. & Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum pag. 339. Hi scilicet computant tempus a morte Neronis, Dio vero a proclamatione exercitus. Nero finem vitæ fecit die 9. Junii mensis anno Ch. 68., ut colligit Pagius ad hunc annum n. 3. quod etiam infra patebit. Quamobrem dies emortualis Galbæ incidit in decimum quintum Januarii anni insequentis 69. a quo die computando tempus Dionis Galbæ imperio consignatum, recedimus ad diem secundum Aprilis an. 68. quo ad imperium in His-

pa-

pania est evectus, duobus mensibus, & septem diebus ante obitum Neronis. uti etiam capite antecedente indicatum est.

De Othone nihil attinet dicere, cum eodem die, quo Galba interiit, Imperator fuerit declaratus. Sed in Vitellio Dionem retulisse annos ad diem proclamationis, est plane exploratum. *Vitellius*, ait noster Historicus pag 536. *regnavit annum unum, decem diebus exceptis*. Josephus vero lib. eodem cap. 13 refert potitum Imperio *menses octo, dies quinque*, seu *decem*, uti scribit Tertullianus loco ante citato. Ille enim, ut in Galba, initium deduxit ab exercitus destinatione, hi a morte Othonis. Tacitus lib. 1. hist. cap. 55 & 57. narrat, ipso *Kalendarum Januariarum die* legiones duas in Germania Galbæ imagines dirupisse, quod cum nocte, quæ ipsas Kalendas sequuta est, Vitellio in Colonia Agrippina degenti nunciatum esset, *die postero*, nimirum secundo Januarii, Fabius Valens cum equitibus legionis primæ, auxiliariorumque *Imperatorem* Vitellium *consalutavit*. Ab hoc die secundo Januarii si producamus *annum unum*, *decem diebus exceptis*, incidimus in diem 22. Decembris, qui fuit emortualis Vitellii. Itaque Dio ab exercitus proclamatione tempus ejus imperii derivavit, ante menses duos, & dies quindecim, quam Othone perempto omnis in eum potestas confluxisset Ceterum verius est, Vitellium obiisse vicesimo dumtaxat die mensis Decembris quæ duorum dierum cum Dione discrepantia, qua velis ex caussa manaverit, nihil tamen rei nostræ officit. Hunc Vitellianæ mortis diem

G pla-

planum facio ex serie rerum ante obitum gestarum, quas Tacitus fuse recenset ex quo falli etiam Pagium constabit, qui Vitellii interitum in diem 21. contulit, in Critica Bar. ad an. Chr. 69. num 6. & in Prolegomenis ad Differtat. hypat. num. 19.

Vitellius, ait Tacitus lib. 3. hist. cap. 67. *decimo quinto Kalendas Januarias*, scilicet decimo octavo mensis Decembris, audita defectione legionis, cohortiumque, pullo amictu palatio digressus est, imperium ejuraturus, coortoque tumultu, & modico prælio inter Vitellianos, & Flavii Sabini, fratris Vespasiani, milites, ipse Sabinus arcem Capitolii insedit (cap 69.) & *luce prima*, nempe die decimo nono, de pace ad Vitellium misit (c. 70.) Sed re infecta, Vitelliani Capitolium irrumpunt, & incendunt (cap. 71.) & Flavium Sabinum confodiunt (cap. 75.) Hunc casum Sabini & conflagrationem Capitolii Antonius Primus, Vespasiani dux, *multo jam noctis*, ad saxa rubra accepit (cap. 79.) quæ quidem ejusdem diei decimi noni nox erat; nam *Saxa rubra millia ferme novem* distabant ab Urbe, ut testatur Victor de Cæsaribus in Maxentio. Quare eodem die ad Antonium ejus rei nuncius pervenire potuit. Die itaque insequente *vicesimo* Antonius cum movisset exercitum, pugnatum *haud procul Urbe*, & Vitellius frustra ad duces Vespasiani Legatos mittit (cap. 80.) Tentavit tamen Antonius suadere militibus, ut castris *juxta pontem Milvium* positis, *postera die* Urbem ingrederentur (cap. 82.) Qui omnem prolationem ut inimicam victoriæ suspectantes, tripartito ag-

mi-

mine, pars Flaminia via, pars juxta ripam Tiberis incessit: tertium agmen per Salariam Collinæ portæ propinquabat. Ii tantum conflictati sunt, & plurimum molis in oppugnatione castrorum habuerunt (cap. 84.) Ceteri jam Urbe divagabantur inter prælia & cædes, atque ipse Vitellius per ludibria & contumelias ingestis minutis vulneribus concidit (cap. 85.) *præcipiti jam die* (cap. 86.) Hæc uno die, nempe eodem *vicesimo*, cum ex narrationis serie, tum quod milites differre *in posteram diem* ingressum in Urbem recusassent, patrata esse constat. Propterea eidem diei xx. nex Vitellii est alliganda. Hoc etiam ex Josepho confirmatur, qui eodem cap. 13. cæde Sabini, & conflagratione Capitolii, quæ diximus die decimo nono contigisse, memoratis, statim subjicit: *Postero die*, nimirum vicesimo, *cum exercitu venit Antonius, eumque Vitellii milites excipiunt, & trifario commisso intra Urbem prælio, omnes interere. Vitellius autem in media Urbe jugulatur.*

Cardinalis Norisius, post hæc scripta visus, de Epoch. Syromaced. dissert. 1. cap. 3. hanc ipsam Chronologiam ex Tacito contexit, & ingressum Flavianorum in Urbem, mortemque Vitellii, per eosdem ferme gradus incedens, ad diem eandem vicesimam Decembris perducit. Sibi tamen scrupulum non levem ex Svetonii verbis injicit, qui cap. 16. narrans, Vitellium suasisse Senatui, ut Legatos cum virginibus Vestalibus ad duces Flavianos mitterent, statim ait: *Postridie responsa opperienti nunciatum est per exploratorem, hostes appropinquare.* Cum Legati,

subdit Vir amplissimus, die 20. in castra Flaviana venerint, die insequente XXI., Vitellio responsa opperiente, hostes in Urbem irruperunt, & Vitellius trucidatus est. At Legati erant quidem in Castris die 20., sed eodem quoque die Vitellius responsa præstolabatur, & hostes in Urbem irruperant, non vero insequente XXI. quod ex ipsiusmet Svetonii narratione evincitur. Vitellius, ipso tradente, cum perspexisset inter epulas *incendium Capitolii*, non multo post poenitens facti, & in alios culpam conferens, abscessit a concione, quam advocaverat, positurus pugionem in æde Concordiæ, sed quibusdam acclamantibus rediit, *suasitque Senatus, ut Legatos cum virginibus Vestalibus mitterent*. Hæc omnia uno eodemque die facta fuisse, ex continenti serie orationis dubitari nequit. Cum vero Capitolium conflagraverit die XIX. uti demonstratum est, & Norisius fatetur, eodem quoque die decreta est legatio a Senatu, sub vesperam scilicet, ut rerum eo die gestarum ordo postulat. *Postridie*, statim post verba recitata subdit Historicus, responsa opperienti nunciatum est per exploratorem, hostem appropinquare. Discesserint ergo Legati ab Urbe eodem vespere diei 19. vel mane insequente, ut magis vero consentaneum videtur, ne cogamur dicere, Legatos, & præcipue Vestales noctem in castris egisse, de quo etiam neque apud Tacitum, nec apud Svetonium indicium ullum extat, certe illud *postridie* nequit referri, nisi ad diem antecedentem nonum & decimum, quo, ut diximus, arsit Capitolium, & Vitellius suasit legationem: & propterea dies ipse, quo

idem

idem Vitellius reditum Legatorum, & *responsa* Flavianorum opperiebatur, & hostes in Urbem irruperunt, non alius est quam *vicesimus*. Quare inter Tacitum, & Svetonium optime convenit; ac utrique, imo etiam Josepho, quod Norisius, licet eum ubique appellet, non animadvertit, dies irruptionis in urbem, & cædis Vitellii est ipse xx. Decembris.

Magis adhuc in Vespasiano elucet Dionis in putandis Imperatorum initiis consuetudo. Apud Xiphilinum pag 540. hæc ille ait: *regnavit* Vespasianus *annos decem, sex diebus exceptis. Ex quo fit, ut a morte Neronis, usque ad principatum Vespasiani annus unus intercedat, diesque viginti duo*. Sunt hi insignes temporum characteres, qui ad eundem scopum mire confluunt. Vespasianus *Kalendis Julii*, uti ex Taciti & Svetonii locis mox recitandis constat, a legionibus Alexandriæ primum salutatus est Imperator. Ab hac die ad Neronis obitum, qui incidit in diem IX. Junii an. 68. plane unus annus, & dies viginti duo numerantur. Extinctus est Vespasianus *octavo Kal. Julias*, ut diserte testatur Svetonius de ejus vita cap. 24. die scilicet quarto & vicesimo mensis Junii. Si addantur sex dies, qui annis decem completis apud Dionem desunt, duobus extremis mortis & imperii non computatis, devenimus ad diem primam Julii, quo Imperator fuit proclamatus. Ergo Dio ad unguem ab eadem proclamatione imperium Vespasiani exorsus est. Quo tempore adhuc vivebat Vitellius, post quinque menses, diesque fere viginti trucidatus. Dioni, quod attinet ad exordia imperii Vespasianei a procla-

clamatione repetenda, ad amussim consentiunt Tacitus, & Svetonius, qui etiam usu ita tunc receptum testantur. Ille lib. 2. hist. cap. 79. hæc scribit: *initium ferendi ad Vespasianum imperii Alexandriæ cœptum festinante Tiberio Alexandro, qui Kalendis Julii sacramento ejus legiones adegit. Isque* PRIMUS *Principatus dies in posterum celebratus.* Hic vero de ejus vita cap. 6. *Tiberius Alexander Præfectus Ægypti primus in verba Vespasiani legiones adegit Kalendis Julii: qui Principatus* DIES *in posterum observatus est.*

Ceterum frustra tempus triverim in explscando Dionis more numerandi annos Cæsarum, si ipse mentem suam, & institutum luculenter aperuit. Etenim post verba proxime recitata de annis Vespasiani hæc subdit *Quod ideo scribendum putavi, ne errore ducerentur ii, qui numerum temporis ad eos, qui Principatum obtinuerunt, referent. Non enim sibi successere invicem, sed vivo adhuc & regnante altero, quisque eorum Imperatorem se tum esse credidit, cum primum imperium quodammodo accepit. Itaque dies eorum non ex successione mutua numerandi sunt, sed accurata exactaque ratione temporis, ut a me dictum est.* Quam legem sibi ipsi præscriptam cum Dio in recensendis annis Elagabali non observasset, cujus rei caussam non est nostrum exquirere, uti cur etiam eandem legem in Septimio Severo sequutus non sit, summa ratione præmonere voluit, se *a prælio cum Macrino, quo omnem potentiam* Elagabalus *adeptus est*, ejus annos numerare: ne quis existimaret, numeratos esse pro more suo a tempore, quo Imperator astu & opera Euthychiani ab exercitu

fuit

fuit salutatus. Videat ergo Valsechius, quam longe a mente Dionis se abstrahi passus sit, cum nobis suadere voluit, ideo ea verba protulisse Dionem, quia noverat, *alio etiam tempore, ut mirum a Caracallæ interitu, Elagabali initium repetitum fuisse*.

At nondum exhausta res. Pergit Valsechius subsidia caussæ suæ jam deploratæ submittere. In tribus, inquit pag. 107., Imperatorum catalogis, quorum alter editus est a Sylburgio in fine Romanæ historiæ Scriptorum Græcorum minorum, & duo alii a Dodwello in Appendice ad Dissertationes Cyprianicas (quorum omnium idem V. C. jam meminerat capite primo) nulla fit mentio Macrini, perinde ac *Augustorum albo exemptus* re vera is fuerit: eo enim prorsus omisso, post Antoninum Caracallam statim ipse Elagabalus subjicitur. Quibus verbis sibi persuadet Vir eruditus, *Imperatorum albo* ideo Macrinum *exemptum* fuisse a Fastorum Auctoribus, quod ab interitu Caracallæ imperium Elagabali auspicandum esse intelligebant. Verum si ante Elagabalum eosdem Fastos oculis lustrasset, perspexisset utique, *exemptos* quoque *albo Imperatorum* Galbam, Othonem, Vitellium, Pertinacem, Albinum, Pescennium, ut interim alios omittam post ipsum Elagabalum. Anne pari ratione horum quoque annos a successoribus non computatos affirmandum erit? Anne Vespasianum, qui illos tres primos in imperio consequutus est, a Nerone, Septimium vero, qui post reliquos regnavit, a Commodo, initia Principatus deduxisse contendet Valsechius? Imo alter ex Catalo-

gis

gis Dodwellianis Caracallam quoque proscribit. Quod nescio an ille probaverit: nam cogeretur, transmisso Caracalla, ab interitu Severi annos Elagabali repetere, ejusque imperium duodecim ferme annorum proventu amplificare. Qui vero fieri unquam potest, ideo in Catalogis Macrinum ex albo Imperatorum exemptum, ut ejus anni in Elagabalum conferrentur, si Elagabalo *quatuor* tantum annos illi adscribunt, ut videre est in tribus laterculis a Valsechio ipso productis? Certe ex conflatis in unum annis utriusque Augusti, Macrini scilicet & Elagabali, non quatuor, sed quinque solidi anni, uno mense minus, emergunt. Hinc mirari subit, cur noster Auctor, qui nuper *sexennio* Herodiani opus habuit ad sufflaminandum suum illud Elagabali adititium imperium, nunc tandem solo *quadriennio* contentus esse possit. Sed frustra fortassis hæc omnia. Nam Valsechius parum sibi ipsi, & suis Catalogis fidens, postquam exposuit caussam a Dodwello allatam in laudata appendice §. 51. pag. 20. & alibi, cur in fastis illis Græcis omissus sit Macrinus, quia nimirum Astronomi, qui Canones hos condiderunt, eorum Principum annos, qui diu non imperarunt, decessoribus solebant imputare, videtur rem, nulla prolata sententia, in medio relinquere. Eam nos quoque ulterius non urgebimus.

Demum Cl. Valsechius Colophonem probationibus suis impositurus, hæc habet pag. 108. *Orosius certe lib. 7. cap. 18. Elagabali initium diserte anno U.C. 970. quod rem plane nostram juvat confirmatque, constituit*. Hæc verba sunt profecto

fidu-

fiduciæ & securitatis valde plena. Hinc statim Orosii locum producit: *Anno*, inquit, *ab Urbe condita* NONGENTESIMO SEPTUAGESIMO *Marcus Aurelius Antoninus* XX. *ab Augusto Imperium adeptus tenuit annos quatuor*. Ergo Orosius, sic decernente Valsechio, initium Elagabali ab A. U. 970. *diserte* desumit: quod idem *plane* est ac ab interitu Caracallæ. At Vir doctus vel dissimulavit, vel non animadvertit, post tres non amplius lineas hæc alia ejusdem Historici verba, quæ spes ejus postremas funditus subvertunt. *Anno ab Urbe condita*, inquit Orosius, DCCCCLXXIIII. *Aurelius Alexander* XXI. *ab Augusto*, *Senatus & militum voluntate Imperator creatur*. Quæro nunc ego ex Valsechio, an vera hæc sint, & an Severus Alexander re ipsa creatus fuerit Imperator anno ab U. C. 974. Certe negaverit ille, & falsum esse Orosium exclamaverit, nam in libro suo eruditissimo non semel, sed sæpius, nimirum pag. 17. 21. 23. 30 33. & 46. sancivit, & quidem jure & merito, Alexandrum inchoasse imperium anno U C. DCCCCLXXV, Itaque si falsus est Orosius in consignando Alexandri primordio, utique in Elagabali quoque decessoris exordio falsus erit. Hoc consequitur etiam ex ipsomet Historico, qui cum tribuat Elagabalo annos *quatuor* imperii, & Alexandri natalis certissime in annum prædictum 975 sit conferendus, qui idem fuit Elagabali emortualis, retrahendo annos *quatuor*, plane relabimur ad annum 971. Ergo omnino corrigendus est Orosius, & pro anno U. C. 970. reponendus est annus 971. quo vere Principatum init Elagabalus:

ac proinde Orosius ipse nihil *plane juvat confirmatque rem* Valsechii.

Nec velim, ut quis opponat pro defensione Orosii, eum computare annos Urbis conditæ secundum Fastos Capitolinos, quibus anni ejusdem Urbis uno anno mulctantur. Nam viri eruditi pridem observarunt, revera hunc Historicum putare annos Varronianos & communes; cujus indicium præter alia hoc est, eum alligare necem Julii Cæsaris anno U. C. 710. At vero etiam si hoc ita esset, nihil tamen Valsechius proficeret. Nam retracto ex Fastis Capitolinis initio quadriennii Elagabali in annum 970., esset quoque annus ille, quem Orosius tribuit Macrino, in annum antecedentem 969. retrahendus. Ergo nequit excusari Orosius, & undequaque verum est, eum probe falli in Elagabali exordio unius anni prochronismo. Qui denique in aliis quoque passim labitur: ut conferenti initia Imperatorum ante, & post Elagabalum patere potest. Porro ejus oscitationem in temporibus tradendis sæpius etiam castigant insignes Chronologi, Baronius, Scaliger in Eusebianis, & de emendatione temporum, Petavius, aliique. Videat Valsechius, cuinam patrono res suas commiserit.

CA-

CAPUT V.

De annis imperii Elagabali Dionis sententia ex fine regni Macrini, cujus nummi explicantur, & ex initio Alexandri confirmata. Proponitur Epigraphe Canonis Paschalis S. Hippolyti: cui inscriptio Serapidi dicata non adversatur. Elagabalus Deos omnes præter suum rejecit. Nummi cum Pot. V. Elagabali a Pagio explicati: quem Valsechius impugnat. Elagabalus salutatus Imperator die XVI. Martii, non Maii: ex quo Trib. Pot. V. expediri potest. Processus Consulares pluries repetiti. Valsechius perperam utitur testimonio Capitolini. Pagius defensus. Elagabalus Macrini nomen e Fastis eradit, suumque inscribit. Hinc credibile etiam, annos Imperii a Kal. Januariis per anticipationem numerasse. Hoc produnt nummi cum Processu Consulari, ex ipsius Valsechii sententia. Nummi omnes Elagabali Trib. Potestatem Consulatui adæquant. Joannis Vignolii nuper edita Dissertatio.

LAbefactato Cl. Valsechii Systemate de annis Imperii Elagabali ab interitu Caracallæ deducendis, spes nulla & ratio superest explicandi ejus ductu Tribuniciam Potestatem V. ejusdem Augusti: quæ ingens expectatio & votum lite-

ratorum hominum, & ipsius Valsechii in fronte Operis inscripta promissio erat. Hoc autem primum cum esset disceptationis inter nos caput, quando, ejus copiis dissolutis & eversis, liber mihi campus relictus est, aggrediar propugnare, quæ ad eandem Potestatem quintam enodandam in Epistola de Nummo Anniæ Faustinæ attuleram, & adversa Cl. Viri argumenta discutere quantum in re difficillima, & tenebris remotioris ævi circumfusa conari & audere fas est.

Dixeram itaque, quod etiam in limine hujus Dissertationis proposui, Elagabalum ex sententia Dionis lib. LXXVIII pag. 907. & 910. regnasse *annos tres, menses novem, & dies quatuor*, numerando tempus, *ex quo, prælio facto* cum Macrino, *omnem potentiam adeptus est*. Hanc Dionis sententiam ideo veram esse conjeceram, quod imperium Elagabali, utrinque certis & indubitatis finibus conclusum, longius temporis spatium pati nequeat. Siquidem nec pugna cum Macrino, atque initium Elagabali ante Junium mensem A. U. 971. Chr. 218. nec ejusdem Elagabali mors, & exordium Severi Alexandri post Idus Apriles A. U. 975. Ch. 222. collocari possunt. Macrinus Imperium invasit die undecima Aprilis A. U. 970. tribus diebus post mortem Caracallæ, quæ in diem octavam inciderat, tenuitque menses quatuordecim, apud Lampridium in Diadumen. Cap. 8. demtis tamen tribus diebus, ex Dione pag 905. Extant apud Card. Norisium de Epoch Syrom Differt. 4. cap. 1. in fine, & Vaillantium de Num Græcis, numis-

mismata Ægæensium in Cilicia Macrini, & Diadumeniani ejus filii signata anno 264. Ægæ Epocha cœpit ab Autumno A. U. 707. non exeunte Majo, ut censuit idem Vaillantius, nam Cilices annum, & menses Syromacedonum servabant, uti ostendit Norisius loco citato. Ab hoc initio ductis annis 264. delabimur in Autumnum anni U. C. 971. quo desierat idem annus 264. Cusi itaque sunt nummi ab Autumno anni 970. ad 971. Quod si diem undecimam Aprilis, qua Macrinus arripuit Imperium, conferremus in annum 969. mors ejus incurreret in Junium mensem anni 970 & proinde nummi præfati essent percussi post Macrini mortem. Ergo non alio anno Macrinus accessit ad Imperium, quam 970. die eadem undecima Aprilis, & victus est insequente anno 971. ineunte Junio, quo Elagabalus omnem potestatem obtinuit. Hæc nemo in dubium vocat.

Patre alia non minus certum videtur, Elagabalum decessisse ante Idus Apriles A. U. 975. Christi 222. nam eo tempore rerum jam potiebatur Severus Alexander. Norunt Eruditi omnes inventam in agro Verano anno 1551. atque a Cardinali Cervino, qui postea fuit magis ostensus, quam datus Pontifex, in Bibliotheca Vaticana collocatam, ubi adhuc visitur, statuam e marmore S. Hippolyti martyris in cathedra sedentis, in cujus lateribus inscriptus est Græcis literis Canon Paschalis ab anno primo Alexandri initium ducens. Hunc Canonem primus edidit cum notis Josephus Scaliger de emendat. Temporum lib. 7. pag. 721., dein Gruterus Thesau-

ſauro inſcriptionum inſeruit pag. CXL. inde Bucherius commentario in Victorii Canonem Paſchalem illuſtravit, & demum Franciſcus Blanchinus Cubiculi Pontificii honorarius accurate ex autographo exſcriptum meliori quam antea luce donavit, erudita ad ejus explicationem addita Diſſertatione. Hic itaque Canon Paſchalis binos Cyclos continet, quorum alter exſculptus eſt in dextero latere Cathedræ, quartas decimas Lunares exhibens per ſexdecim annos diſtributas, alter in ſiniſtro, cui inſcriptæ ſunt Dominicæ Paſchales CXII. annorum, Cyclo ſedecennali ſepties repetito. Prior hanc Epigraphen profert: ANNO I IMPERII. ALEXANDRI. IMP. FACTA. EST. XIV. PASCHÆ. IDIBUS APRILIBUS. SABBATO. alterius hoc eſt programma: ANNO. ALEXANDRI. CÆSARIS. PRIMO. INITIUM. Feria ſeptima, ſeu Sabbatum non potuit inter hæc tempora contingere die XIII. Aprilis, niſi in anno ducenteſimo viceſimo ſecundo æræ Chriſtianę, Cyclo ſolis VII. Lunæ XIV. lit. Dom. F. Præterea hoc ipſo anno incidit Plenilunium medium ex Tabulis Riccioli in eundem diem XIII. Aprilis hor. 5. m. 3. poſt meridiem. Ergo die XIII. Aprilis A. C. 222. Severus Alexander jam regnabat, & Elagabalus obierat. De hoc dubitari nequit, quia S. Hippolytus hoc ipſo anno 222. Canonem condidit, ut inſcriptio allata indicat: *Anno primo Alexandri facta eſt* XIV. *Paſchæ*, & paullo poſt *erit ſequentibus annis ſicut in tabula ſubjectum eſt*. Modus hic loquendi de præterito tempore, & de futuro demonſtrat, conſcriptum fuiſſe Canonem

Pa-

Paschate jam elapso, & antequam annus proximus inciperet. Et quamvis Hippolytus ipse Canonem non insculpserit Cathedræ, certum tamen est, illum a quopiam, cujus nomen abdidit vetustas, exscriptum fuisse ab opere ejusdem Hippolyti, de quo meminit Eusebius lib. 6. hist. Eccl. cap. 22. & D. Hieronymus de Script. Eccles. cap. 61., & non multo post Cathedræ incisum. Quod indicatur etiam in latere ipsius Cathedræ, ubi inter opera Hippolyti hoc recensetur: *Demonstratio temporum Paschæ, quemadmodum in tabula*.

Marmori Hippolyteo solet opponi saxum alterum, in quo Inscriptionem hanc exaratam fuisse tradidit Panvinius lib. 2. Fastorum, ab eoque expressit Gruterus pag. LXXXV. 2.

SERAPIDI. SACR
IMP. CÆS. M. AUREL
ANTONINUS. AUG
PIUS. FELIX. COS. IIII
P. P.

a tergo

DEDIC. ID. APR
IMP. CÆS. ANT. PIO. IIII ET
M. AVR. ALEXANDRO. COS

M. Aurelius Elagabalus Imp. & Alexander Cæsar dubio procul annum U.C. 975. Dionysianum 222. Consules aperuerunt. Idibus Aprilibus hujus anni in saxo Panviniano vivebat adhuc Ela-
ga-

gabalus, qui Serapidi signum vel statuam posuit, & Alexander nondum ad imperium erat evectus: at in Canone Hippolyti ipsismet Idibus Aprilibus Alexander jam imperabat, & Elagabalus mortem objerat. Ergo alterutrum ex his antiquitatis monumentis falsum vel mendax est. Mihi sane dubitandum nequaquam videtur, quin marmor Hippolyteum Panviniano præferri debeat. Illud extat integrum, incorruptum, atque omnium oculis patet: hoc nusquam est, neque ejus characteres adspectu explorare possumus, nosque certiores reddere, an autographum exemplo Panvinii respondet. Certe Panvinius ipse, quamquam antiquitatis peritissimus, non semel inscriptiones falsas aut vitiatas obtrusit, vel ab aliis perperam exscriptas, vel quod ipse, ut crebro etiam oculatissimis usu venire solet, minus accurate eas reddiderit. Quis ergo sustineat testem vivum, ut ita dicam, & præsentem repellere, ut auctoritatem testi ignoto, & absenti deferat? Præterea, quod alii etiam animadverterunt, potuit ante necem Elagabali insculpta fuisse inscriptio, ut dedicatio Idibus Aprilibus fieret: quo postea occiso, lapis jacuit neglectus. At mihi etiam subsunt non levia falsitatis argumenta. Quis enim vero simile putet, Elagabalum vel statuam vel signum quodpiam *Serapidi* dedicasse, qui nullum aliud numen coluit, quam suum illum *Elagabalum*, unde ei nomen quæsitum, ab Syria Romam adsportatum, cui templum magnificum cum exstruxisset, *studebat & Matris typum*, ut narrat Lampridius cap. 3., *& Vestæ ignem, & Palladium, & ancilia,*

&

& OMNIA *Romanis veneranda in illud transferre templum & id agens*, NE QUIS ROMÆ DEUS NISI ELAGABALUS COLERETUR? Adeoque vesano cultu in Deum hunc suum raptus est Imperator insanus, subdit Historicus cap. 6., ut *non Romanas tantum extinguere religiones voluerit, sed per orbem terræ, unum studens, ut Elagabalus Deus* UNUS UBIQUE COLERETUR. Quod si *Matris Deum sacra accepit, & taurobolіatus est*, apud eundem c. 7., non id religione ductus gessit, *sed ut typum eriperet, & alia sacra quæ penitus habentur condita*. Aliisque sacris, quæ statim enumerat Lampridius ideo tantum se immiscuit, ut ea profanaret pollueretque, atque in penetrale Dei sui transferret. De Serapidis statua hæc dici nequeunt, propterea quod in loco publico ea poni debuerat, & memoria dedicationis insigniri. Quare reipsa positam fuisse valde est ambigendum.

Cum igitur imperium Elagabali duos certissimos cardines habeat, unum ab initio Junii mensis an. 218 quo Macrinus deletus est, alterum ad Idus Apriles an. 222. cum jam Alexander, ex Canone S. Hippolyti, rerum summam administrabat, patet hinc, Dionem apprime recte tres annos, & novem menses cum diebus quatuor eidem Augusto tribuisse: hoc enim temporis spatium deductum ab eodem Junii exordio desinit in Martii initia ann. 222. uno mense ante Epocham Hippolyteam. Atque ut res hæc ad dies quoque componatur, quamquam in ea dissentaneæ sint Eruditorum sententiæ, mihi statuendum videtur, Macrini Imperium, quod u-

nius anni & duorum mensium, demtis tribus diebus, definit Dio, inchoatum die undecima Aprilis anni ab U. C. 970. esse perducendum ad diem septimam Junii anni insequentis 971. qua die prælium cum eodem Macrino confectum est. Hinc anni tres, menses novem, & dies quatuor Elagabali desinunt in diem decimam, vel undecimam Martii an. 975. cum idem Augustus rebus humanis exemptus est, & Severus Alexander Imperio admotus. Neque enim Pagio adsentior, qui hæc ad diem sextam ejusdem mensis retrahit, ut acclamationes Alexandro a Senatu factas apud Lampridium ejus primæ inaugurationi adscribat, nam verius est acclamationes illas pertinere ad tempus aliquod posterius, uti probant Tillemontius in Elagabalo not. VI. & Valsechius cap. 2. Hæc cum ita sint, non potuit Elagabalus attingere Tribuniciam Potestatem V., si quatuor Principatus annos non explevit. Attamen plures ejus extant nummi Tribunicia Potestate V signati, quorum aliquot describit Goltzius in Thesauro, duos, argenteum unum, æreum alterum Adolphus Occo, alios duos Mediobarbus, unumque argenteum Vaillantius: quibus e gaza Medicea alium addidit Valsechius, ejusque ectypum protulit prope finem capitis quinti. Non moror numismata Aquiliæ Severæ, Anniæ Faustinæ, ac ipsius Elagabali cum L. E. *anno quinto*, quod de iis nulla habenda sit ratio, quia cum annis Tribuniciæ Pot. non concurrunt, & modo Ægyptiaco sunt explicandi, ut latius supra demonstravi.

Pa-

Pagius in Critica Bar. ad annum æræ vulgaris 218. nodum hunc implicatissimum expediturus, annosque Elagabali a Dione relatos cum Potestate V. conciliaturus, non unam viam commentus est. Primum siquidem non ad prælium cum Macrino, a quo Dio exorditur, retulit initium imperii Elagabali, & Tribuniciæ Potestatis susceptæ, sed ad diem acclamationis factæ a militibus, quam diem statuit decimam sextam mensis Martii, non vero Maii, pro certo habens, in textum Xiphilini pro *Martio* irrepsisse *Majum* mensem: quæ præmutatio, ut hoc addam, non adeo est inverisimilis, ut quia Xiphilinus scripserit solam primam literam M. quam Librariis placuit potius in *Majum*, quam in *Martium* vertere. Ita cum apud Spartianum cap. 5. scriptum sit, Septimium Severum Carnunti appellatum fuisse Imperatorem Idibus *Augusti*, omnino reponendum esse Idibus *Aprilibus*, post Baronium notavit idem Pagius ad an. 193. num. 5. Et profecto, quamvis repugnet Vallechius pag. 52., illud argumentum, quod Pagius pluribus persequitur, mihi potissimum arridet, nequaquam scilicet omnia ea, quæ Xiphilinus acta narrat ab exercitus acclamatione ad prælium confectum, geri potuisse intra dies XVIII. quod temporis spatium effluxit inter diem XVI. Maii, & III. Junii, qua ex ejus sententia pugnatum est cum Macrino. Quare, inquit Pagius, etsi Elagabalus, qui die sexta Martii decessit, quintum imperii annum non inchoavit, illum saltem proxime attigisse potuit, ita ut nummi illi in Romanis provinciis cudi potue-

I 2 rint,

rint, antequam nuncius cædis ejus ad eas pervenisset.

Fateor, me non ita longe suffragio meo ab hac ejus opinione recedere, aliquo tamen temperamento adhibito. Nam de nummis Tribuniciam Potestatem efferentibus dici nequit, percussos fuisse in provinciis, antequam nuncius cædis Elagabali ad eas perveniret, cum illi Romæ fuerint conflati. Uxorum vero nummi cum L. E. *anno quinto*, qui utique in provinciis fuerunt obsignati, ad hoc negotium non pertinent, ut sæpius fancivimus. Itaque nummi cum Tribunicia Pot. V opinioni Pagii aptari poterunt, si dixerimus, eos fuisse percussos diebus aliquot ante ingressum anni quinti Elagabali, ut in promptu essent die ipso natali ejus, quod fieri potuisse nemo negaverit. Decem enim dies inter eundem diem Natalem XVI. mensis Martii, & sextum ejusdem mensis, in quem mors Elagabali incidit ex sententia Pagii, in nostra vero, quam paullo ante exposuimus, quinque tantum dies intercedunt. Quare nihil mirum, si nummi aliquot cum Tribunicia Potestate V. ante necem Elagabali cusi fuerint, & in populum sparsi.

Ceterum Pagius ab hac opinione recessit. Cum enim vidisset apud Vaillantium Elagabali nummum signatum TR. P. III. COS III. cum quadrigis Imperatore aurigante, aliumque notatum TR. P. V. COS. IIII. cum Processu Consulari in quadrigis, deduxit, hunc Imperatorem a Kalendis Januariis anni 218, quo dictus est Imperator, annos suos numerasse. Quippe observa-

vit,

vit, eas quadrigas ad triumphum Elagabali non pertinere, nullum enim egit, sed spectare ad Processus ejus Consulares, priorem nimirum ad Processum Consulatus tertii ab illo initi A. U. 973. Ch. 220. posteriorem ad Processum Consulatus quarti gesti A. U. 975. Chr. 222. Ita primo die anni 220. quo tertium Consulatum suscepit, tertium quoque imperii annum, & tertiam Potestatem numeravit, quartam vero primo die anni 222. quo quartum Consul processit. Proinde retrahendo annorum exordia, primum imperii annum, & primam Trib. Potestatem a Kal. Januariis an. 218 auspicatus est.

Hanc ipsam Pagii sententiam ego sequutus fueram in Epistola Italica de Nummo Anniæ Faustinæ, ea potissimum ratione ductus, quam Pagius num. 4. & 10. innuit, ut nimirum sicut Elagabalus, Dione teste, Macrini nomen e Fastis anni Christi 218. eradi jusserit, tanquam si a Kalendis Januariis ejusdem anni ipsemet Consulatum gessisset, qua de re postea redibit sermo, ita quoque voluerit Tribuniciam Potestatem, & imperii annos ab iisdem Kalendis, velut per *anticipationem*, computare. Cujusmodi anticipationis exempla, Julii Cæsaris, Octaviani Augusti, & Justini Junioris attuleram. At Cl. Vallesius cap. 4. Pagium confutare cum sibi sumsisset, me quoque pari studio incessit, atque ea exempla, Justini potissimum, magna ingenii contentione, atque eruditionis copia convellere aggressus est. Primum Pagii caussam, quam communem habeo, deinde uberius res meas peculiares pertractabo.

Con

Consentit Valsechius, memoratos nummos ad Processus Consulares Elagabali pertinere, at non satis apte, inquit, ex eo quod nummi illi ad ejus processus Consulares pertinuerint, eundem Elagabalum elici primo die anni U. C. 973. Christi 220. tertium annum, & primo die A. U. 975. Chr. 222. quintum annum imperii numerasse. Etenim adsunt nummi Severi Alexandri, quibus evincitur numismata Imperatorum, ad Processus illorum Consulares spectantia, non eandem Tribuniciam Pot. efferre, ac quæ ab iis, cum Consules initio anni processerunt, numerabatur. Quippe Processus Consularis non is tantum dicebatur, quo primo anni die Consules ad capessenda Magistratus insignia prodibant, verum etiam omnes illi Processus, quibus per annum ad ludos pro delatis trabeis de more edendos iidem Consules ferebantur. In quam rem ex Justiniani Novella 105. cap. I. & II. probat, aliquando pluries etiam quam duodecies processum fuisse: qui numerus ab eodem Imperatore ad septem tantummodo Processus fuit definitus. Et rursus laudat nummum Constantini a doctissimo Card. Norisio in Differt. de Num. Impp. Diocletiani & Maximiani cap. 5. in fin. allatum, in quo legitur Processus Consularis sextus ejusdem Imperatoris. At plane nescio, cur etiam Capitolini verba hæc ad numerum plurium Processuum Consularium probandum Vir oculatus allegare potuerit. *Quæsturam magnificentissime gessit*, inquit Capitolinus de Gordiano seniore in vita cap. 3., *Ædilitatis suæ tempore duodecim populo* Ro-

Romana munera, idest per singulos menses singula exhibuit. Subdit Valsechius verbis Card. Norisii: *Itaque Gordianus duodecies ad edendos ludos processit*. Sed ubinam Capitolinus dixit, hos processus fuisse *Consulares*? Anne Ædilis idemmet est ac Consul? Trita res est, inter alia munia Ædilium illud quoque fuisse, ut ludos ederent. At Valsechius hunc locum Capitolini a Cardinali Norisio mutuatus est. Recte quidem. Sed nonne etiam magni Viri & doctissimi quandoque oculis & mente aberrant? Ut mirum non sit, me quoque, qui tantulus sum, aliquando, de quo alibi, idem peccasse, atque in severiorem Auctoris nostri censuram incurrisse.

Demus ergo hæc omnia Disceptatori nostro, verumque esse fateamur, ut ipse concludit pag. 58., haudquaquam necesse fuisse, ut nummi ad Processus Consulares spectantes sub anni initium, quo Consules Magistratus insignia sumebant, percussi fuerint, undenam denique, quæram ego, ille scivit, nummos Elagabali, de quibus est quæstio, non etiam pertinere posse ad Processus Kalendis Januariis anni U. C. 973. & 975 ab illo actos? Certe sollemniori pompa, ut res ipsa videtur postulare, agebatur Processus initio anni in capessendo Magistratu, quam ceteri per annum. Mediobarbus sex nummos Elagabali cum quadrigis, quas perperam ipse Triumphales vocat, ad tertium ipsius Consulatum spectantes refert, unumque Vaillantius ad Consulatum quartum. Esset sane prodigio propius, si omnes hi nummi ad minores Processus per annum actos spectarent, & non eorum saltem ali-

aliquis ad sollemniorem Kal. Januarias initum. Attamen prodigium illud contigisse Valsechius judicat. Verum fortasse alii secus judicabunt, & in Pagii sententiam se libentius ire profitebuntur. Imo & Valsechius ipse manus dabit Pagio, cum, quæ exponam, judicio suo ingenui candoris pleno expendere non recusabit.

Inter nummos, quos recensuimus, Processus Elagabali præferentes, unus est apud Vaillantium de Nummis aur. & arg pag. 288. cum hac inscriptione. P. M. TR. P. V. COS. IIII. Cernitur Imperator *in quadrigis*, *dextera ramum*, *sinistra scipionem eburneum gestans*. Hunc nummum ad Processum Elagabali Consularem spectare subdit ille, & Valsechius pag. 54. & 55. confirmat. Pagius dixerat, ex eodem nummo constare, Elagabalum primo die anni Chr. 222. annum imperii quintum numerasse quia percussus fuit in Processu ejus Consulari acto ipsis Kal. Januariis ejusdem anni. At Valsechius pag. 55. id negat, ex eo quod Elagabalus potuit infra annum, nam plures per annum Processus agebantur a Consulibus, Processum in nummo relato expressum celebrasse, & proinde certo deduci non posse, eundem Elagabalum initio anni 222. annum imperii quintum, & Tribun. Potestatem quintam computasse. Ut rem gratam Auctori nostro faciam, sponte mea illi concessenim, Processum hunc consularem in nummo signatum non fuisse actum die ipsa prima Januarii mensis anni ejusdem 222. Nam Lampridius de ejus vita cap. 15. diserte id tradit. *Denique*, inquit, *Kal. Januariis, cum simul iam designati essent Con-*

su-

fuis, *noluit cum Consobrino*, Alexandro, *procedere*. Ex hac tamen nostra indulgentia nihil prorsus Valsechius profecerit. Etenim si Elagabalus Kal ipsis Januariis non processit, certe aliquo quocunque die, ante tamen initium mensis Martii, quo e vivis sublatus est, Processum quarti sui Consulatus, decurrente Trib. Potestate quinta, in nummo notatum celebravit. Quid sibi velit Processus hic ante mensem Martium actus, jam, puto, V C. sentiet. Sancivit ipse, Elagabalum decessisse die decima ejusdem mensis, quam Pagius sextam definierat. Ergo ante hanc diem Elagabalus numerabat Potestatem Trib *quintam* nummo toties laudato inscriptam. Hoc confirmat nummus alter a Mediobarbo sub eadem Trib. Potestate *quinta* recensitus, in quo visitur *Figura stans dextera tesseram, sinistra cornu copiæ*, cum epigraphe: LIBERALITAS AVG. VI. Quam *Liberalitatem*, seu Congiarium, distribuit Imperator in ipso Processu, de quo loquimur, ante initium Martii, labente Trib. Potestate *quinta*. Quod si ante mensem Martium A U. 975. Christi 222. decurrebat Tribunicia Potestas V. Elagabali, *prima* certe ejus Potestas necessario cœpta erat ante exordium Martii A. U. 971. Chr. 218. & antequam ipse die XVI. Maii, vel Martii acclamatus Imperator ab exercitu fuisset, vel initio Junii, post prælium cum Macrino, omnem potentiam fuisset adeptus. Dicat nunc ergo Vir doctus, quonam denique die ante eundem Martium anni Chr 218. velit adscribi primordium Tribuniciæ Pot. & imperii Elagabali. Neque enim ille, ut reor, sustinuerit nobis adhuc

K ob-

obtrudere suum illud initium ab interitu Caracallæ, pridem deploratum & conclamatum. Quocirca eum ingenue fateri necesse est, & cum Pagio, quod antea sperabamus, convenire, non alio die ceptos numerari annos imperii, & Tribuniciæ Potestatis ejusdem Augusti, quam Kalendis Januariis A. U. 971. Chr. 218. per *anticipationem* scilicet, cum per id temporis nondum imperium accepisset. idque eam ob caussam, quam antea adumbratam, nunc luculentius exponere aggredior.

Annum U. C. 971. Christi 218. Consules aperuerant *Opilius Macrinus* Augustus & *Adventus*, ut observavit Cardinalis Norisius in Epistola consulari pag. 131., ab eoque exscripsit Pagius in Critica ad eundem annum num. 4. Cum autem, subdit Eminentissimus Auctor, hoc ipso anno, Junii mensis initio, Antoninus Elagabalus, Macrino acie victo, & paullo post interempto, Imperium occupasset, quædam, teste Dione in fragmentis, quæ inserta sunt ejus historiæ l. 79. pag. 909. innovavit, inter quæ, *Consulatus*, inquit, *Macrinus loco, qui jam gestus erat, nomen suum substituit, cum nec consulatum a nobis accepisset, nec eum prorsus attigisset*. Addit Dio, Elagabalum, occiso Macrino, tribus literis nomen prioris ejus anni Consulis Macrini hostis sui execratum, collegæ tantum Adventi nomen adposuisse, & postea suummet nomen Macrini loco ante Adventum substituisse, *nomine Macrini*, inquit idem Norisius, *eo facto e Fastis eraso*. Itaque Elagabalus non solum Macrini nomen e Fastis expunxit, sed etiam suummet

ejus

ejus loco *substituit*, & Fastos ejus anni nominis sui nota signari voluit, tanquam si a Kalendis Januariis *Consulatum* accepisset, qui Majo tantum insequente acclamatus fuerat Imperator, & Junio, victo Macrino, rerum omnium potitus. Hinc in veterum Fastis scribuntur Consules *Antoninus* & *Adventus*: quod in errorem induxit Onufrium, qui eum *Antoninum* putavit esse Diadumenianum, & Pagium, qui in Dissert. hypat. Macrinum credidit. Utroique in viam reducit Norisius, docens illum *Antoninum* vere esse *Elagabalum*, qui sublato e Fastis nomine Macrini suummet substituerat. Hinc etiam nomen Elagabali præfixum fuit Actis publicis, cum ex more debuisset toto eo anno notari Macrinus, qui illum Consul aperuerat. Hoc apparet in lege 8. lib. 2. Codicis, de Nuptiis gestis, quæ data legitur VI. *Kal. Augusti*, *Antonino*, nempe Elagabalo, *& Advento Consulibus*.

Ex his uti jam constat, Elagabalum invasisse consulatum Macrini, & initia anni, quæ eidem debebantur, per *anticipationem* sibi vindicasse, tanquam si eo tempore Consulatum iniisset; ita videtur conjici posse, illum ab eodem quoque tempore, nimirum a Kal. Januariis anni 218. depulso veluti Macrino, & simili *anticipatione* inducta, exordia sui Principatus repetiisse ut unum idemque Consulatus & Imperii principium esset. Utrumque sane per vim, & præter morem: at si de anticipato Consulatu dubitari nequit, cur etiam de anticipato Imperio conjectare non liceat? Hoc omnes, qui nullis sunt addicti partibus, simile admodum esse vero judica-

 bunt.

bunt: at Vaslechins & ceteri, qui nobiscum mortem Elagabali Martio mensi adscribunt, verum etiam fateantur, necesse est. Cum enim Processus Consulatus quarti cum Tribunicia Pot. quinta conjunctus in nummo supra relato cogat nos primordia Tribuniciæ Potestatis Elagabali, ut diximus, in Kal. Januarias anni 218. conferre, id factum nulla alia ratione esse potest, quam quia idem Augustus voluerit Consulatus & Imperii tempora per *anticipationem* ab eodemmet capite auspicari.

Hæc videntur ex eo confirmari posse, quod in omnibus numinis Antonini Elagabali numerus annorum Tribuniciæ Potestatis concurrit cum numero Consulatuum, neque unquam in uno anno, seu eodem Consulatu duplex Trib. Potestas observatur: ut percurrenti seriem numismatum hujus Augusti apud Mediobarbum statim patebit: licet ipse perperam initio cujuslibet anni duas Tribun. Potestates conscribat. Ita omnes nummi anni 219. signantur TR. P. II. COS. II. anni 220. TR. P. III. COS. III. & demum an. 222. TR. P. V. COS. IIII. quia anno antecedente Consulatum non gesserat. Quod argumento est, ipsis Kal. Januariis quotannis cum Consulatu susceptam seu instauratam fuisse Trib. Potestatem, ac utriusque dignitatis numeros toto anni decursu pari passu processisse. Quod si initio Junii, quo contigit pugna cum Macrino, vel die XVI. Maii, cum Elagabalus fuit salutatus Imperator, cœpissent numerari anni Tribuniciæ Potestatis, certe sub eodem Consulatu & anno duplex Tribunicia Pot. signata inveniretur: ut puta annus

220.

220. cum Consulatu III præferret a Januario mense ad Majum, vel Junium Potestatem secundam, exinde vero tertiam. Secus ab Januario ad Majum, vel Junium mensem nullum omnino numisma Elagabali percussum fuisset, vel ad nos pervenisset. Cujusmodi argumentationis genere alias etiam usus sum. Profecto Elagabalus ter Consul processit, videlicet in secundo Consulatu, (primum enim per anticipationem surripuit Macrino) quem Nicomediæ suscepit anno 219, in tertio Romæ inito ann. 220, & in quarto anni 222., præter alios Processus, quos intra annum celebrare potuit. Præterea sex Congiaria distribuit in populum, quadrigas egit, deum suum lapideum vectans, & sæpius eidem sacrificavit, quarum omnium solemnitatum, atque aliarum memoriam nummis suis repræsentavit. Inter has vero nullam esse, quæ acta fuerit quinque prioribus trium annorum mensibus, nam si acta ulla fuisset, nummos haberemus cum numeris Tribuniciæ Potestatis & Consulatus discordantibus, non ego quidem assequi cogitatione valeo. Unum tamen, ut fatear, numisma extat apud Angelonium, quod nostræ huic argumentationi opponitur, nam Congiarium Elagabali præfert cum hac Epigraphe P. M. TR. P. II. COS III. LIBERAL. AVG. sed Cl. Valsechius pag. 112. scrupulum exemit, quippe eosdem numerales characteres utrique nostrum adversaotes aliter legendos esse demonstravit.

Verum cum hæc scripsissem, prodiit in lucem Romæ viri eruditissimi Joannis Vignolii disserta-

tio,

tio, DE ANNO I. IMPERII SEVERI ALEXANDRI, in qua inter alia insignem nummum ęre scalptum dedit, huic ipsi Angeloni plane consimilem, & præterea Hippolytei Canonis inscriptionem, quam supra protuli ad Elagabali annos constabiliendos, vel interpretatur, vel subvertit. Hæc, quæ res Paganas & meas in discrimen adducunt, cum mihi non sint prætereunda, sequenti capite expendam.

CA-

CAPUT VI.

Joannis Vignolii de inscriptione Canonis Paschalis S. Hippolyti sententia, & nummus Elagabali ab eo productus expenduntur. Testimonia Eusebii ac S. Hieronymi de eodem Canone explicata. Hippolytus Cyclo suo sedecennali annum Consularem non apposuit, sed annum I. Alexandri. Cycli Paschales Imperatorum nominibus olim inscribebantur. Æra Paschalis ab anno primo Diocletiani petita. Epochæ Paschalis Hippolyti exordium a Neomenia Lunæ: cujus rei exempla alia. Lunæ conjunctio die prima anni Juliani celebrata, non antecedente, uti censuit Cassinus. An hic annus intercalaris. Operi Paschæ S. Hippolyti nullum Chronicon insertum; sed doctrina temporum Paschalium tradita, secundum ejus hypotheses: & exinde Cyclus sedecennalis digestus. Is mos etiam Astronomis usurpatus. Qui Cyclum S. Hippolyti in Cathedra insculpsit, nihil immutavit. Dionis textus de annis Elagabali nequaquam corruptus. Duorum invicem numismatum pugna: & Fasti Græci explicati. Hinc sententia Pagii de anticipato Elagabali Imperio haud penitus deplorata. Vignolii initium Alexandri nondum ab impedimentis Canonis Hippolytei expeditum.

IN hoc igitur egregio Opere sibi probandum suscepit Cl. Vignolius, Elagabalum non ante *initium Julii* mensis A. U. 975. æræ vulgaris 222. obiisse, & Alexandrum ad imperii fastigium fuisse evectum. Quo pacto recte ait, explicari posse Tribuniciam Pot. V. ejusdem Elagabali in nummis toties a nobis memoratis expressam. Si enim ejus initium statuatur vel die XVI. Maii, cum salutatus a militibus Imperator fuit, vel ineunte Junio, cum Macrinum acie fudit, Tribunicia ejus Potestas IV. exiit anno 222. alterutro ex iis cardinibus, & deinceps usque ad primordia Julii potuerunt cudi numismata cum Potestate V. Porro sententiam hanc suam novis atque eruditis ita obfirmat rationibus, nihil ut videatur præclarius in hac controversia afferri posse. Verum cum programma Canonis S. Hippolyti, quod V. C. sub ipsum initium exhibet, nosque superiori capite ad firmandam Dionis auctoritatem de annis Elagabali produximus, Alexandrum regnantem Idibus Aprilibus an. 222. agnoscat, atque adeo Elagabalum jam tum defunctum, propterea omni ope ille enititur, ut tantæ molis objectum sibi oppido infestum depellat. Ad hæc nummum Angeloni, a quo haud mihi timendum esse nuper sperabam, veluti redivivum sistit, sive alium illi prorsus consimilem, qui Elagabali Congiarium repræsentat cum hac epigraphe: TR. P. II. COS III. Hunc vero nummum postquam ille objecit Cl. Valsechio, quem aliis quoque argumentis probe convellit, eo subinde utitur

ad

ad evertendam Pagii de anticipata ejusdem Elagabali Tribunicia Potestate sententiam, quam ego hactenus vindicare conatus sum. At mihi profecto dubitare admodum occurrit, num marmor S. Hippolyti, quod viam ejus intercipit, & nostram communit, de medio plane sublatum sit. Quod si res integra fortassis manere possit Hippolyto, & verum adhuc sit, Elagabalum decessisse ante diem XIII. Aprilis, necesse est oriri rixas inter hoc Vignolii numisma, & nummum alterum a nobis capite superiori recitatum & explicatum, & subinde spes aliqua Pagianæ & nostræ caussæ satis adhuc superesse poterit. Quamobrem, ut argumenti a me suscepti rationibus inserviam, dubitationes aliquas proponam ad ea, quæ vir doctus de programmate S. Hippolyti commentatus est, deinde nummatum eorundem discordias in medium proferam.

S. Hieronymus de Scriptoribus Eccles. cap. 61. hæc scribit: *Hippolytus cujusdam Ecclesiæ Episcopus (nomen quippe urbis scire non potui) rationem Paschæ temporumque canones scripsit, usque ad primum annum Alexandri Imperatoris, & sedecim annorum circulum, quem Græci ἑκκαιδεκαετηρίδα vocant, reperit.* Hæc eadem prorsus tradiderat ante Hieronymum Eusebius lib. 6. hist. Eccl. c. 16. ex Vignolii versione: *Eo sane tempore & Hippolytus præter alios plerosque Commentarios, quos componebat, opus etiam de Paschate conscripsit, in quo & temporum seriem explanat, & canonem quendam sedecim annorum de Paschate ponit, & temporum finem describit ad primum annum Imperatoris Alexandri.* Ex his Hiero-

nymi & Eusebii locis statuit V. C. Operi *de Paschate* rationem temporum, seu Chronicon fuisse insertum, & post Chronicon successisse Canonem Paschalem, seu Cyclum, qui insculptus in lateribus Cathedræ ejusdem S. Hippolyti visitur: Chronicon vero, quod in annum primum Severi Alexandri desinebat, diversum omnino fuisse ab eodem Cyclo. Hinc conjicit, Hippolytum non ita conscripsisse Cyclum suum, uti hodie spectatur in Cathedra, sed aliquid commissum fuisse ab eo, qui post Hippolyti ætatem illum marmori insculpendum suscepit. Ergo arbitratur, Hippolytum sub anno Consulari, *Antonino* nempe IIII & *Alexandro* anni 222. *Consulibus*, annum primum imperii Alexandri in Chronico adnotasse, quod usque ad annum illum, Eusebio ac D. Hieronymo testibus, conscripsit. Canonem vero Paschalem seu Cyclum, qui Cronicon subsequebatur, habuisse quidem initium ab eodem anno Consulari, non tamen hanc notam temporis initio canonis fuisse repetitam, sed scriptum tantum. ΕΤΟΥΣ. ΑΥΤΟΥ. sive, ΤΟΥΤΟΥ, *hoc anno*, scilicet, Antonino IIII. & Alexandro COS. *Decima quarta Paschæ fuit Idibus Aprilibus, Sabbato*. Qui vero post Hippolyti ætatem, subdit vir eruditus, curavit, ut idem Canon sculperetur in Cathedra, pro anno Consulari Imperii, annum ex Chronico accepit, & loco ΕΤΟΥΣ. ΑΥΤΟΥ. sive, ΤΟΥΤΟΥ, *hoc anno*, posuit in dextero ejusdem latere. ΕΤΟΥΣ. Ᾱ. ΒΑΣΙΛΕΙΑΣ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ. *anno* 1. *imperii Alexandri Imperatoris*. in sinistro vero, ΕΤΕΙ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. ΚΑΙΣΑΡΟΣ. ΤΩ.

Ᾱ.

Hæc omnia ingeniose quidem sunt excogitata: sed an ita vere, non unum est, quod me impellit ad dubitandum. Aliter certe suadent duo illi testes, Hieronymus & Eusebius, qui si invenissent scriptos Consules, Antoninum & Alexandrum, nulla videtur esse ratio, cur, prætermissis ipsis Consulibus, annum primum Imperii Alexandri tantummodo memorassent. Certe eorum uterque viderat Chronicon, & viderat ejus Canonem sedecennalem, in cujus anno primo consignatum erat Pascha sub die XIII Aprilis. Quod si, uti censet vir doctus, Chronicon annexum erat Canoni, seu Cyclo, & in utroque annus Consularis adnotatus, male cum posteritate egissent iidem Scriptores, qui cum scirent, si vera ea est sententia, Alexandrum post diem illum XIII. regno inauguratum, nobis illum obtrulissent jam tum imperantem. Qui sane Charissimi Auctores an ita voluerint nos fallere, aliis judicandum relinquo. Sed neque Syncellus, qui seculo octavo Chronographiam suam literis mandavit, scivit unquam, Consules adsuisse in Canone sedecennali Hippolyti, sed novit sane scriptum fuisse annum primum Alexandri: *&annorum*, loquitur de libris Hippolyti, *sexdecim Paschalem regulam ad annum* PRIMUM ALEXANDRI *Mammeæ fixo termino exposuit*. Is enim mos ea ætate invaluerat, ut qui temporum historiam texerent, non eam annis Consulum, sed Imperatorum inscriberent. Idem Eusebius lib. VI cap. 7. *Judas*, inquit, *de septuaginta apud Danielem septimanis differens*, *ad decimum usque an-*

num Imperii Severi supputationem temporum, χρονογραφίαν, *perduxit*. Ejus verba, uti assolet, ita exscribit Hieronymus de Script cap 52 *Judas de septuaginta apud Danielem hebdomadibus plenissime disputavit, & Chronographiam superiorem temporum usque ad decimum Severi perduxit annum.* Nulla hic Consulum mentio uti neque apud Hippolytum, qui pariter *temporum Canones scripsit usque ad primum annum Alexandri*. Inter hunc annum & decimum Severi viginti tantummodo anni intercurrunt: ut prorsus manifestum sit, duos hosce ejusdem ætatis scriptores eodem modo Chronicon suum anno Cæsareo non Consulari conclusisse. Morem hujus ævi notavit etiam Pearsonius in præfatione ad Annales Cyprianicos num. 5. ubi ait, vetustissimos Scriptores Christianos fuisse solitos numerare annos per Imperatores: atque inter hos memorat Theophilum, Clementem Alexandrinum, & Tertullianum. At cum ipse eorum loca neglexerit indicare, nos hic expressa damus. Theophilus Antiochenus in Chronologia, quæ extat apud Nicolaum Nourry in apparatu ad Bibliothecam maximam tom 2. pag 509. Tertullianus adversus Judæos cap. 8. & adversus Marcionem lib. 1. cap. 15. Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum a pag. 336. ad 340. editionis Coloniensis an. 1688 de quo etiam scribit Eusebius eodem lib. 6. cap 6. *Hic Clemens in primo Stromatum libro ordinem temporum describens, obitu Imperatoris Commodi computationem suam circumscribit*. Subjicit Pearsonius, posteriore tantum ævo numerum annorum e Fastis Consularibus fuisse deductum, primumque omnium

Au-

Auctorem Catalogi circa annum 354. creationes & obitus Romanorum Pontificum per Consules descripsisse, & subinde exempla quædam S. S. Patrum succedentium congerit, qui res gestas Consulum notis consignarunt. Hinc eo more inducto, etiam descriptores Festorum Paschalium memoriam Consulum in usum revocarunt, primusque Theophilus Alexandrinus Episcopus, posthabita consuetudine suæ Ecclesiæ, apud quam Paschalia tempora annis Diocletiani notabantur, ut mox dicam, supputationem centum annorum Paschalium dedit, incipiens a Consulatu Theodosii primo, & quinto Gratiani, qui in annum 380. incidit. & Victorius Cyclum suum Paschalem orsus est a Consulatu Constantini & Rufi, an. 457. Hæc habentur in fine Prologi ipsius Theophili, & in Prologo S. Cyrilli Alexandrini, & demum in Epistola ejusdem Victorii ad Hilarium Papam quæ extant apud Petavium in calce alterius tomi de doctrina Temporum. Constat igitur, ævo Hippolyti usu fuisse receptum, Imperatorum dumtaxat annis, non vero Consulum, rationem temporum circumscribere.

Sed quid scripserit Hippolytus, nemo melius quam Hippolytus ipse testari potest. Ediderat Canisius antiquæ Lectionis Tom. II. Chronicon quoddam sub titulo, *De Divisionibus gentium*, quod postea correctius publicavit Labbeus tom. 1. Bibliothecæ novæ, & postremo vir doctissimus Cangius ad Chronicon Alexandrinum, ab ipso appellatum Paschale. Opus hoc idem Cangius in Præfatione num. XIV. tribuit nostro Hippolyto,

quam-

quamvis dubitet Guilielmus Cave in hist. Scriptorum Eccles. in fine S Hippolyti, & Cl. Blanchinus aperte neget in dissertatione de Canone Paschali S. Hippolyti pag 131. qui tamen, si non Hippolyti, auctoris certe synchroni, & sub Alexandro viventis esse illud fatetur. In hoc ergo Chronico apud Labbeum pag 305 & Cangium pag 418., ut refert idem Blanchinus pag 131, hæc verba habentur: *A generatione Christi post XXX. annum, cum passus est Dominus, Pascha celebratur ipse enim erat justum Pascha. A passione autem Domini usque in XIII.* ANNUM IMPERATORIS ALEXANDRI *Cæsaris anni* CCVI. *servatum est* PASCHA, *quod in commemorationem Christi servatur a nobis. Fiunt igitur anni ab Adam usque ad* HUNC *diem anni* VMDCCXXXVIII. 5738. Quis credat Hippolytum diversum a Hippolyto, ut nimirum in hoc Chronico consignaverit Pascha sub annis Imperii Alexandri, nulla prorsus Consulum mentione facta, & in alio Chronico, atque in Cyclo Paschali, ut V. C. opinatur, Consulum notam usurpaverit? Quod si non Hippolytum, sed alium facias Chronici auctorem, is certe scribens anno XIII. qui fuit postremus Alexandri, *usque ad* HUNC *diem*, morem ejus temporis, atque adeo morem Hippolyti observavit.

Itaque Hippolytus Epocham insignem daturus Cyclo suo Paschali, quem tum, posthabitis annis Paschalibus jam præteritis, veluti de novo instaurabat, illam Epocham non a Consulibus, sed ab ANNO PRIMO Alexandri repetiit, ut exinde anni Paschatum sequentium ab

co

eodem cardine deducerentur. Hunc morem eo ipso seculo Christi tertio, quo vixit Hippolytus, imitati sunt Alexandrini, qui Cyclum suum Paschalem instituerunt, initio sumto a *primo anno* Diocletiani, nimirum a Neomenia Thoth fixi XXIX. Augusti anno vulgari 284., cujus anni primi Pascha incidit in annum sequentem 285. Hæc celebris est Ægyptiorum Paschalis Æra, *Diocletianea* appellata, quod *primo Diocletiani anno* cœpta fuerit, ait Scaliger de emendatione Temporum lib. 5. pag. 494. edit. an. 1629. Hinc factum est, ut cum Pascha aliquod memorarentur, plerunque anni putati fuerint ab hoc primo Diocletiani anno. S. Proterius Episcopus Alexandrinus & Martyr in Epistola ad Leonem Papam, quæ est prima in collectione epistolarum Paschalium apud Petavium in calce tomi II. de doctrina Temporum, inserta etiam Epistolis ejusdem Pontificis a Quesnello ordinatis, post epist. 103., recensens plures decimas quartas Paschales, eas semper ab Imperii Diocletiani Epocha repetit. Unum exemplum pro cunctis exhibeo. *In octogesimo nono anno* AB IMPERIO DIOCLETIANI, XIV. *Luna Paschalis* XXVIII. *die mensis Phamenot, idest* IX. *Kalendarum Aprilium provenit*. Annus LXXXIX. Diocletiani cœpit a Neomenia Thoth anni Christi CCCLXXII., ejusque Pascha contigit anno sequente 373. S. Ambrosius eandem hanc rationem secutus est in epistola de Paschate ad Episcopos per Æmiliam constitutos: *Octogesimo*, inquit, *nono anno ex die* IMPERII DIOCLETIANI *cum quartadecima Luna esset nono Kal. Apriles, nos cele-*

bra-

bravimus Pascha pridie Kalendas Apriles ....
Rursus nonagesimo & tertio anno a die IMPERII DIOCLETIANI &c. Cyrillus item Episcopus Alexandrinus condidit Cyclum XCV. annorum, cujus initium & finem ab annis Diocletiani denominavit, uti testatur Dionysius Exiguus Epistola prima de Paschate, quæ extat in laudata collectione Petavii *S. Cyrillus*, inquit, *primum Cyclum ab anno Diocletiani* CLIII. *cœpit*, *& ultimum in* CCXLVII *terminavit*. Suot anni 337 & 431. æræ communis. Hinc patet, quam vero sit similius, Hippolytum exorsum fuisse Cyclum suum ab ipso anno primo Alexandri, quam ab ejus anni Consulibus. Imo etiam asseveraverim, quoties annus aliquis Paschalis ejus Cycli describendus esset, non aliter fuisse appellatum, quam ab annis imperii Alexaodri, ut caussa exempli: *anno quinto ab imperio Alexandri* XIV *Luna Paschalis* IV. *Kal. Apriles*, *Dominica vero Paschalis* IV. *Nonas Apriles*.

Hippolytum vero instituisse Epocham Paschalem ab anno æræ vulgaris 222., primo Alexandri, atque exinde Cyclum suum digessisse, plures characteres, qui in illum annum concurrunt, videntur etiam demonstrare. Joannes Dominicus Cassinus, quem ingenti Astronomiæ damno nuper Parisiis vita functum dolemus, in animadversionibus ad Canonem S. Hippolyti, quas compendio refert Joannes Baptista Hamelius in historia regiæ scientiarum Academiæ lib. 4 Sect. 8 cap. 1, observavit, primum diem anni 222. fuisse eundem primum Lunæ, seu primum post mediam conjunctionem Lunæ cum

So-

Sole, quæ pridie contigerat. Qua ejusmodi Epocha nulla aptior seligi poterat ad constructionem Cycli Paschalis, cum ab ea dies Lunæ, quibus consequentes anni inciperent, facilius habeantur. Ita etiam Julius Cæsar cum annum ordinasset, primum annum, qui fuit U. C. 709., duxit a media Lunæ cum Sole conjunctione, quæ contigit die antecedente Kalend. Januarias, unde Epocha celebris anni Juliani inchoata est. Præterea idem Cassinus notavit, inter hanc Julii Cæsaris Epocham & Epocham Hippolyti intercedere magnam periodum annorum 256. quę constat 14. periodis Methonicis undeviginti annorum: ex quo infert, etiam hanc periodum XIX. annorum haud ignotam fuisse S. Hippolyto, licet ipse aliam rationem sequutus fuerit. Hæ viri doctissimi animadversiones de Epochis Cycli Hippolytei, ac anni Juliani, cœptis a prima Lunæ accensione, uno etiam & altero exemplo illustrari possunt. Æra Paschalis Diocletianea, uti paullo ante dictum est, incepit a primo die Thoth XXIX Augusti an. 284., qui primus dies erat anni civilis Ægyptiorum, atque eodem ipso die commissum est Novilunium medium, licet Neomenia civilis propter Aureum numerum ab Alexandrinis collocata fuisset in diem antecedentem XXVIII Augusti, qui erat ultimus Epagomenarum, ut tradit Petavius de doctr. Temp. lib. 2. cap. 63. Rursus in Cyclo annorum 84, quem produxit, & fuse explicavit Card. Norisius, quolibet Cyclo revoluto, Novilunia perpetua lege ad Kalendas Januarias revertuntur. Quod quamvis falsum sit, cum uno Cyclo absoluto

M Lu

Lunares Syzygiæ inferius debuerint prolabi; attamen id in rem nostram facit, quod ejus Cycli Auctor voluerit initio cujuslibet Cycli primam Lunam figere. Ex his itaque apparet, Epocham Hippolyti, cum conveniat regulis insigniorum Epocharum, recte ab ipso fuisse connexam cum anno 222. primo Alexandri, in cujus exordio Neomenia Lunæ celebrata est.

Ceterum quod Cassinus dixit, conjunctionem mediam Lunæ cum Sole complexam fuisse diem antecedentem Kalendas Jan. A. U. 709., non congruit cum aliorum observationibus. Siquidem Paulus Middelburgius lib. 2 Paulinæ, apud eundem Norisium initio Dissertationis de Paschali Latinorum Cyclo, tradit, Novilunium contigisse ipsomet die primo Januarii hor. 7. 6'. 35 P. M. sive juxta calculos Stoeffleri prop. 34. hor. 6. 44'. 55'. Hanc inter insignes Astronomos unius solidi diei in Novilunio constituendo dissensionem ut accuratius expenderem, supputationem institui, ex tabulis tum Petavii lib 5. de doctrina Temp. cap. 4. tum Riccioli in Astronomia Reformata, & cum illis adeptus sum Novilunium medium die ipsa primæ Januarii hor. 4. 54. P. M. ex his vero hor 5. 21'. P. M. & per Epactas hor. 5. 50'. Discrimen unius, vel alterius horæ inter quatuor hos Mathematicos provenit cum ex diversa ab ipsis motus medii assumpta quantitate, tum ex differentia Meridianorum. Cassinus autem in diem antecedentem non alia de caussa idem Novilunium conjecit, quam quia primum annum Julianum bissextilem cum statuisset, ut in fine num. V. apparet,

cal

calculos perinde instituit, ac si initio anni dies intercalatus jam fuisset, propterea que novilunium uno die antevertit. At revera, licet idem annus Urbis 709. fit bissextilis, Cyclo Solis 21. lit. Dom. CB., supputatio tamen fieri debet in anno communi, quia Kalendis Januariis dies intercalaris nondum fuerat insertus. Imo si rem ipsam attendamus, nulla eo anno primo Juliano, quamquam in serie annali Kalendarii ille sit bissextilis, facta fuit intercalatio. Cum enim anno antecedenti, qui vulgo Confusionis vocatur, præter solidos dies imputatæ fuissent sex horæ appendices, ut testatur Solinus, non poterat fieri intercalatio unius diei, nisi postquam tres alii quadrantes illum unum diem complevissent: quod accidit anno Juliano III. vel IV. quorum alteruter primus Julianus annus bissextilis fuit: qua de re consulendus est Petavius lib. 4. cap. 2. & 3. Et fortasse Sosigenes, qui Julii Cæsaris jussu annum ordinavit, sex illas horas eo consilio superesse voluit, ut transmisso primo anno absque intercalatione, Lunam primam cum primo die ejusdem anni conjungeret, quo annorum insequentium Lunationes commodius procederent.

Porro, ad Vignolium ut redeam, dubius etiam feror, num Operi *de Paschate*, quod conscripsit S. Hippolytus, Chronicon ullum insertum fuerit, in primum Alexandri annum desinens, ut idem V.C. censet. Sane Chronicon Hippolytus condidit, sed illud ab hoc opere *de Paschate* omnino alienum & diversum fuit: uti patet in Elencho librorum Hippolyti, in quo sub

M 2 hoc

hoc titulo scribitur *Chronicon*. Post tria vero alta volumina opus de Paschate refertur *Demonstratio temporum Paschæ*. Quæ porro hæc ipsa verba docent, nullum Chronicon adjectum fuisse, sed actum tantummodo de temporibus Paschæ: cui rei concinit etiam Syncellus, qui in eo opere nullum Chronicon agnovit, ut ex verbis paullo ante recitatis constat. Cum igitur Eusebius, a quo Hieronymus sua hausit, hæc tradit *qui etiam de Paschate conscripsit, in quo & temporum seriem, τῶν χρόνων ἀναγραφὴν, explanat*, id non de Chronico quodam, seu Chronologia intelligendum puto, sed de temporum Paschalium serie & ratione, cui *Canonem sedecim annorum de Paschate* Hippolytus adjecit. Luculentius id expressisse videtur Rufinus in sua Eusebii versione lib. 6. cap. 17. *in illis diebus Hippolytus inter cetera scripta sua libellum de Pascha scriptum edidit, in quo cum descriptionem quandam temporum faceret, de sedecim annorum in circulo, qui in Paschæ ratione observari solet, nescio quam supputationem sequutus, universa tempora intra primum Alexandri Imperatoris annum concludit*. Manifestum est, *in descriptione temporum* supputationem circuli sedecim annorum factam fuisse, & proinde *seriem temporum* Eusebii pertinere ad Paschatis tractationem. Hoc ipsum elicitur etiam ex versione Valesii cap. 22. *librum de Paschate composuit, in quo temporum seriem describens, & Canonem quendam Paschalem per sedecim annorum circuitum exhibens, anno primo Imperatoris Alexandri computationem temporum circumscribit*. Nimirum Hippolytus *describens temporum seriem* exhibet cyclum Paschalem, hancque com-

pu-

putationem Paschalem anno primo Alexandri concludit. Nullum ergo Chronicon in libro Hippolyti, sed omnia ad temporum Paschalium canones referuntur.

Hippolytus itaque in suo Opere *de Paschate*, de quo Eusebius, doctrinam, uti ego quidem arbitror, de Paschate exposuit secundum hypotheses a se repertas, ut inouit Hieronymus. egitque fortasse de anni solaris & Lunaris periodis, de revolutione Feriarum, de Neomeniis primi mensis, terminis Paschalibus, aliisque ad rationem Paschatis pertinentibus: ex quibus concinnavit Cyclum suum sedecennalem, qui conflatus est ex duplici Octaeteride, quam Dionysius Episcopus Alexandrinus, qui imperante Gallieno vixit, ad Paschatis ordinationem usurpavit, teste Eusebio l. 7. hist. c. 20. Hac methodo Hippolytus digessit tum tempora, & seriem Festorum Paschalium legalium, quæ indicantur in primo Cathedræ laterculo, tum tempora & seriem Paschatum Christianorum ante primum annum Severi Alexandri: a quo eodem anno primo sumpta Epocha, uti diximus, Cyclum suum aperuit, & ejus tabulas expansas dedit, in quibus decimas quartas, & Dominicas Paschales apposuit. Duplices vero hæ tabulæ fuerunt: una quæ annum primum Alexandri antecedebat, altera quæ ab eodem anno primo exordiebatur, quæ ipsa est, quam insculptam in Cathedra cernimus, complectens in primo latere decimas quartas Paschales unius circuli sedecennalis, in secundo Dominicas Paschales in annos CXII. ordinatas, septies nimirum repetita Hecc ædecaeteride. Hæc a-

per

perte indicantur in ipsius Cathedræ inscriptione his verbis *Anno primo imperii Alexandri Imperatoris facta est* XIV. *Paschæ Idibus Aprilibus, Sabbato, cum mensis embolimæus fuisset. Erit in sequentibus annis*, post eundem scilicet primum Alexandri annum, *sicut in tabula subjectum est*, nempe decimæ quartæ, & Dominicæ Paschales incurrent in dies, qui in tabula expansa consignantur: quæ postmodum tabula in Cathedram translata fuit. *Evenit vero in præteritis, sicut indicatum est*, videlicet in annis ante Alexandrum, in quibus Paschata competentia erant disposita. Hæc scripsisse Hippolytum eo ipso primo Alexandri anno, elapsa jam Paschatis sollemnitate, modus loquendi, *facta est decima quarta Paschæ, & erit in sequentibus annis*, dubitare non sinit, uti etiam capite superiore observatum est. Porro Astronomorum morem in hoc opere de Paschate sequutus est Hippolytus, qui Planetarum doctrinam tradentes, de eorum motibus, anomaliis, eccentricitatibus, apogæis, aliisque affectionibus & proprietatibus disserunt, & postmodum ex hypothesibus inde deductis tabulas motuum mediorum, & æquationum subjiciunt, ex quibus loca Planetarum quolibet anni die, & hora inveniri possint. Ita uno seculo ante Hippolytum etiam Ptolemæus Astronomorum princeps factitaverat, uti videre est in ejus magnæ Constructionis opere. Atque, ut in rem ipsam exemplum ponam, eandem methodum observavit Christophorus Clavius, qui doctrinam universam de Paschatis ratione ingenti volumine complexus ad explicationem Kalendarii Gregoriani, in eo tabulas expan-

fas

las inseruit, in quibus Aurei numeri, Epactæ, Decimæ quartæ, & Dominicæ Paschales, alia que per annum Festa vaga ab anno 1600 ad annum 5000 indicantur. Præter Paullum de Middelburgo, Petavium, & alios, qui in suis de Paschatis doctrina tractationibus sparsim varias tabulas tradiderunt.

Nunc vero alteram clarissimi Viri conjecturam persequar. Et quidem non ego ausim asseverare, illum qui Cyclum Hippolyti in Cathedra insculpendum curavit, tantæ hominem supinitatis fuisse, vel tantum sibi arrogasse, ut pro duobus illis verbis, HOC ANNO, tot simul alia, & penitus diversa arbitratu suo addiderit, & rem ipsam, & rei significationem inverterit & transformaverit. Certe ille recensens in latere Cathedræ Elenchum librorum Hippolyti, testatur Cyclum Paschalem ab eo scriptum illum ipsum esse, quod incisum fuerat in Cathedra *Demonstratio temporum Paschæ, quemadmodum in* TABULA. Quam *tabulam* hanc eandem esse, quam præ manibus habemus, docet inscriptio Cycli: *Erat sequentibus annis sicut in* TABULA *subjectum est*. Nec, tam immaniter peccasse Curatorem illum, argumento esse possunt errata quædam in Cyclo commissa: quia illa tandem in literis dumtaxat quibusdam, ac numeris sistunt, & imperitiæ quadratarii, ut sæpius evenisse scimus in saxis antiquis, non Curatori, qui sane homo de trivio non fuit, imputari debent. Præterea Cl. Blanchinus, qui accurate Canonem descripsit ex marmore, ac doctissimis commentariis illustravit, fatetur pag. 117 in alterum quidem

la

latus errores aliquot irrepsisse, sed primum, in quo quartadecima Paschalis anno I. Alexandri notata reperitur, a labe & vitio prorsus immune testatur. Porro Curator Cycli ideo etiam non ita facile decipi potuit, quod æqualem illum fuisse Hippolyto, satis est vero consentaneum: quippe frustra laborem hunc haud levem describendi in Cathedra marmorea Cyclum annorum CXII. sibi sumsisset, nisi is debuisset inservire pro annis Paschalibus, tempus, quo illum exaravit, subsequentibus. Et quidem vivo Hippolyto id gestum, argumento etiam est Elenchus in latere sculptus, qui non omnes ejus libros memorat, propterea fortasse quod eo tempore nondum ceteri erant compositi. Quocirca, uti ego quidem reor, in marmore ille exculpsit Paschata integri Cycli CXII annorum, ut Christianis pateret eorum usus, & ab ipsis dignosci posset, in quem diem per singulos annos sollemnitas Paschalis incurreret. Quemadmodum Kalendaria apud Romanos ad publicum usum in tabulis lapideis describebantur, quorum unum adhuc extat Romæ in ædibus Farnesianis, aliaque profert Gruterus a pag. CXXXIII.

Ceterum de Inscriptione Serapidi dicata, quæ videbatur obstare programmati Canonis Hippolytei, satis supra est dictum: atque hæc ipsa, quæ hactenus disputavimus, cum demonstrent Alexandrum regnantem die XIII. Aprilis, Elagabalum eodem die viventem, ut prodit Inscriptio, e scena explodunt.

Itaque donec hi scrupuli animo hæreant, persuasum haud mihi esse poterit, programma Cy-

cli

eli Paschalis aliter sculptum in Cathedra, & aliter scriptum ab Hippolyto fuisse. Quapropter, immota ejusdem Cathedræ auctoritate, postrema mihi suboritur dubitatio, num viri eruditi suspicio de corrupto Dionis textu veritati consentanea esse possit. Si enim adhuc verum est, ex Hippolyti Canone, Alexandrum die XIII. Aprilis imperio jam inauguratum, verum quoque omnino erit, Elagabalum ante hunc diem mortalitatem explevisse. Quo fit ut salvus sit Dio, qui annos tres, menses novem, & dies quatuor imperio ejusdem Elagabali adscripsit, uti sæpius expositum est. Nec nimium propterea Dioni tribuit Pagius, nosque eum sequuti, neque illum dignitati numismatum præferimus sed Dionem ex Hippolyto asserimus, & marmorei Canonis fidem nummorum auctoritati opponimus. atque aptiorem, qua inter se conciliari possint, viam & rationem quærimus. Hinc magnopere vereor cum præstantissimo viro affirmare, librarios codicem Dionis vitiasse, numerosque annorum partim transposuisse, partim depravasse, & dierum numerum annis dedisse, diebus vero qui annorum esse debuit: ita ut cum in Dionis textu legeretur, Elagabalum regnasse annis QUATUOR, mense UNO, & diebus TRIBUS, ipsimet librarii, susque deque vertendo omnia, scripserint annos TRES, menses NOVEM, & dies QUATUOR. Quod accidisse tam in Dione ipso oporteret, quam in Xiphilino ejus exscerptore: ille enim idem numerus annorum, mensium, & dierum reperitur cum in fragmentis Dionis, insertis editioni Hannovianæ pag. 907.,

N tum

tum in Xiphilino pag. 910. Sed hanc miram vocabulorum, & numerorum μετάθεσιν commissam fuisse ab iisdem Notariis, quamquam labi ac peccare in exscribendo pronis, iterum vehementer dubito. Certe Dio ut nunc loquitur, loquebatur etiam undecimo, & duodecimo sæculo: nam Cedrenus pag. 210. editionis G. L. Basileensis, ita scribit: ἐβασίλευσεν ἔτη γ. μῆνας θ, ἡμέρας δ. *regnavit*, Elagabalus, *annos* III. *menses* IX. *dies* IV. Eosdem plane numeros habet Zonaras lib. 12. Annal. num. 13. & Michael Glycas Annal. part. 3. diebus illis quatuor tantummodo neglectis: Ἡλιογάβαλος ἔτη γ. καὶ μῆνας θ. *Elagabalus annos* III. *menses* IX. Hæc ex Dione ad unguem sumsisse hos historicos, uti etiam exemplaria Dionis, quæ in Græcia erant frequentissima, hanc lectionem tunc præsetulisse, non est ambigendum. Si cui autem in mentem venerit divinare, codices Dionis etiam ævo Cedreni, Zonaræ, & Glycæ corruptos fuisse, vel postea & Dionem, & Cedrenum, & Zonaram, & Glycam, imo & Xiphilinum ubique locorum depravatos, nullum ultra verbum, aut operam sumam. Ex his porro patet, cui major fides Dioni habenda sit, quam Herodiano, qui sex annos imperii Elagabalo tribuit. Siquidem hoc ejus sexennium nullo prorsus alio admoniculo fulcitur. Præterea facile in uno vocabulo potuerunt Notarii mendum committere, & scribere ἕκτον ἔτος, *sextum annum*, pro τέταρτον, *quartum*. Id enim ego potius dixerim, quam cum Vignolio ipsos vertisse πέμπτον ἔτος, in ἕκτον, *quintum annum* in *sextum*: quia nemo unquam tradidit Ela-

lagabalum regnasse annos *quinque*, uti fere omnes Græci *quatuor* ponunt, ut capite quinto ostensum est.

Denique, manente fide Canonis Hippolytei, commoveri pugnam inter duos nummos inter se contrarios necesse est. Alter ille est, a Cl. Vignolio nunc primum, ut supra memoravi, in lucem editus, cujus hæc inscriptio, TR. P. II. COS. III. sententiæ Pagii ac nostræ de anticipata Elagabali Tribunicia Potestate diem summum dicit. Si processus Consularis, inquit Vir eruditus, ejus nummi, quem ad suam firmandam opinionem Pagius attulerat ex Vaillantio cum TR. P. III. COS. III. exordium anni 220., quo Elagabalus COS. III. processit, respiceret, is inde per totum annum illum Tribunicia Potestate non alia inscribi potuisset, quam tertia, quæ in eodem Vaillantii nummo legitur. Cum vero nummus laudatus exhibeat hanc inscriptionem TR. P. II. COS. III., res, inquit, est manifesta, iisdem Kalendis Januariis illius anni, quo Elagabalus Consulatum III. suscepit, Tribuniciam Pot. III. non numerasse, proindeque nummum eundem Vaillantii Processum Consularem primum, tertii Elagabali Consulatus initio habitum, denotare non posse. Quo fit etiam, ut si initio anni ejusdem 220. non tertia, sed secunda Tribunicia Elagabali Potestas decurrebat, prima ejus Potestas, seu primus Imperii annus a Kal. Januariis anni 218. per anticipationem exordium capere non potuerit.

Sed stat contra nummus alter apud eundem Vaillantium, quem nos supra descripsimus, in

quo repræsentatur Processus Consularis Elagabali, & scalpta est hæc nota. TR. P. V. COS. IIII Consulatum quartum init Elagabalus Kal. Januariis anno Urbis 975. Christi 222. qui si dignitate & vita spoliatus est ante Idus Apriles ejusdem anni, ut ex Canone Hippolyti constat, puta initio Martii, non potuit certe Processum in nostro nummo expressum celebrasse, nisi intra hoc temporis intervallum, a Kalendis nempe Januariis ad exordium ejusdem Martii. Quod si hoc eodem tempore labebatur ejus quinta Tribunicia Potestas, instauratam hanc fuisse oportet ipsis Kalendis Januariis ipsiusmet anni 222.

Hoc vero iterum negat V. C. ex Fastis Græcis Vossianis apud Cangium ad calcem Chronici Paschalis, quos profert etiam Dodwellus post appendicem sæpius laudatam ad Dissertationes Cyprianicas pag. 31. in quibus Fastis initio ejusdem anni U. C. 975. Chr. 222., quo Elagabalus Consulatum IV. capessivit, Alexandro Cæsare Collega, legitur ejus Imperii annus *quartus*, non *quintus*. Ἀντωνῖνος τὸ δ΄, ϗ Ἀλέξανδρος, *Antoninus IV. & Alexander*, scilicet Consules δ΄, α΄, IV. & I., hoc est, *anno quarto* Imperii Elagabali, & *primo* Alexandri. At si verum sit, hanc notam numeralem δ΄ significare, Elagabalum cum Kalendis Januariis an. 222. iniit Consulatum IV., numerasse *quartum* annum Imperii, verum quoque fuerit, alteram notam α΄ denotare, Alexandrum iisdem Kalendis putasse annum imperii sui *primum*. Quod quis dixerit? Quare, mea quidem sententia, non aliter hi characteres explicari debent, quam eo anno Consulati alterum

ex

ex Consulibus decessisse, cum *quartum* imperii annum ageret, alterum eodem anno exortum fuisse *primum*. Et sane Fasti omnes Græci quatuor annos principatus Elagabalo tribuunt. Quod manifestius fit ex methodo Auctoris Fastorum, qui ad annum 253. (in aliis quippe annis similes characteres non habet) positis Consulibus Volusiano II. & Gallieno I. (quamquam in hoc fallitur, quia non Gallienus, sed Maximus fuit Collega Volusiani) addit has notas γ. α III. I., quarum prima non potest significare Volusianum initio hujus anni, quo Consulatum init, numerasse *tertium* Imperii annum, siquidem illud suscepit, seu verius Cæsar renunciatus fuit a Gallo genitore, post mortem Decii, qui interiit mensibus extremis anni 251. Ergo numerus γ. III. exprimit, Volusianum decessisse eo anno, quo Consulatum secundum agebat, decurrente ejus Imperii anno *tertio*: quidquid sit de hoc numero annorum Imperii, in quo plurima inter Chronologos est dissensio, nam nos loquimur ex sententia nostri Fastorum Auctoris.

Sublato hoc impedimento, manet adhuc, ex nostro numismate, Elagabalum initio anni 222. *quintam* Tribuniciam Potestatem Actis publicis dedisse. Proinde etiam Kal. Januariis ann. 220. non *secunda*, sed *tertia* ejus Potestas decurrebat, & rursus, retrocedendo, *prima* Tribunicia Pot. sumta est per *anticipationem* a Kal. Januariis anni 218.

Ergo prior nummus Pagianum Systema ac nostrum convellit: alter, solido atque adhuc inconcusso marmoris Hippolytei funda-

men-

mento innixus, illud fartum & tectum tuetur. Si ad caussam Pagii labefactandam satis esse possit sola unius numismatis auctoritas, satis quoque videtur esse alterius nummi fides ad ejus spes erigendas ac sustentandas. Crimini loco esset, si de illo quicquam suspicarer: huic si labem inferrem, Hippolytum in societatem mendacii traherem. Inter hæc porro dissidia medius occurrit Cl. Vignolius, & novam, illamque expeditam Tribuniciæ Potestati V. explicandæ viam aperit. Quam nos quoque inire parati sumus, ac in viri præstantissimi auctoritate delitescere, si validioribus, ut auguramur, conatibus Hippolyteæ Cathedræ impedimenta submoveantur. Quod reliquum est, nobis in hisce controversiis, quod Ciceroni in disputationibus philosophicis, pronunciare licebit: *Nos probabilia multa habemus, quæ sequi facile, affirmare vix possumus.* lib. 2. Academicarum quæstionum.

CA-

CAPUT VII.

DE INITIO IMPERII JUSTINI JUNIORIS

Ante Justini caussam, exempla Augusti, & Julii Cæsaris contrae ad Elagabali anticipationem fuisse allata, ostenditur. Valsechius perperam Auctori imponit, quæ nequaquam scripsit. Justinum successisse Justiniano A.C. 565. novis ac certis argumentis probatum. Duplex modus computandi annos Postconsulatus. Justinus numeravit annos Imperii a Kal. Januarius an. 566. cum suscepit Consulatum, non a die suo Natali. Hoc primum evincitur ex quodam Gaudiosi Presbyteri monumento. In vetere Ecclesia Ordinationes sacræ Dominico die agebantur. Intervalla Ordinum ad longum tempus dilata. Quo sæculo Orationes, quibus utimur in consecratione Presbyteri, fuerint conditæ, conjectura. Quid censura morum, & censura vivendi. *Epitaphium Boetii fulcit sententiam de initio annorum Justini, non convellit, ut putavit Valsechius. Ea etiam ex Corippo confirmata. Justinus non distinxit annos Imperii ab annis Consulatus, quod Valsechius ex Novellis a Pagio male detortis censuit. neque primus instituit, ut anni Augustorum a Consulatu, & ab Imperio numerarentur.*

AT

AT vero Pagianum Systema quæcunque tandem fors maneat, mihi tamen vadimonium non est deferendum. Cum enim Cl. Valsechius pag. 62, ejusdem Systematis convellendi occasione, me non uno ex capite in judicium vocaverit, caussam dicere prolixiori defensione, ut objecta ejus singula complectar, non detrectabo. In Dissertatione mea epistolari ejus *anticipationis*, quam Elagabalus retrahendo initium Imperii ad anni exordium usurpavit, tria exempla produxeram, nimirum Augusti, Julii Cæsaris, & Justini Junioris, petita ex Opere meo de Monumentis veteris Antii pag. 116. Octavius Cæsar, firmato sibi a Senatu Imperio, cum die XVII. mensis Januarii Augustus fuisset appellatus, nequaquam tamen ab eo die inchoavit annos Augustales, sed a proximis Kalendis Januariis, testante Censorino de Die Natali cap. 21. his verbis: *Annus Augustorum* CCLXXV. *perinde ex Kal. Januariis, quamvis ex* A. D. XVI. *Kal. Februarii Imperator Cæsar* D. F. *sententia Munatii Planci a Senatu, ceterisque civibus Augustus appellatus est.* Hæc fuerunt acta A. U. 727., ut probat Petavius de doctr. temp. lib. 10. cap. 72.

Ait itaque Valsechius, *longe diversam esse rationem*, cur annorum Augustalium, seu Æræ Augustorum primordium, atque initium Imperii Elagabali a Kalendis Januariis peti debuerint. Siquidem, etsi Octavius Cæsar Augusti titulo ornatus non est nisi die decima septima Januarii mensis, attamen Romani, ut novæ illius

præ-

præclaræque Epochæ initium celebri quopiam die figeretur, Kalendis Januariis, quibus etiam *anni eorum civiles auspicabantur*, consignarunt: cum præsertim ab iis Kalendis ad diem decimum septimum *tam pauci dies* effluxissent. Elagabalus vero cum mense Junio, post quinque scilicet a Kalend. Januariis exactos menses, Imperium adeptus sit, *nulla*, inquit, *adest ratio*, cur ab ipsis Kal. Januariis annos suos exordiri voluerit.

At quoniam V. C. hoc loco perhumaniter professus est, se nolle judicium meum *censoria virga notare*: de quo sane me plurimum ei debere fateor, quamquam haud scio, an quicquam peccaverim Catone intonso dignum, poterat etiam ejusdem erga me humanitatis instinctu intendere oculos in paginam 116. modo allatam, quam & ipse citat, & vidisset, me quoque eandem rationem, ob quam Romani Epocham Augusteam Kal. Januariis consignarunt, nec ignorasse nec dissimulasse. Ibi enim hæc verba scribo: *Non ab hac die decima septima Januarii desumtos annos, sed a proximis Kal. Januariis, quibus inchoabatur* ANNUS CIVILIS. Imo in eo totus sum, ut illud ipsum probem, Cæsarianam nimirum Epocham, de qua eo in loco sermo est, & hanc ipsam Augustalem, Romanos *ab anno civili* exorsos fuisse. Eam autem *diversam rationem* ultro admitto, imo & volo. Augustus enim decreto Senatus imperii Augustei annos ad Kal. Januarias retraxit, ut *anno civili* eos aptaret. Elagabalus idem egit, ut *Consulatus* & *Imperii* initia per vim & nefas conjungeret. Atque hæc fuit *ratio*, quam *nullam*

O ad-

adesse minus recte Valsechius autumat, cur Elagabalus annos suos ab ipsis Kal. Januariis ordiri voluerit. Nec dictum ille diversus numerus in calculo poni merebatur.

Ceterum, quamvis *diversa sit ratio* inter Augustum, & Elagabalum, non ideo exempli vis perit. Neque enim quidpiam esse, ideo negari debet, quia non eadem ratione, ac aliud simile, gestum est. Satis est rem convenire, ut in exemplum alterius proferri queat. Factum, non jus comparavi. Nec novum est, egregie facta in exemplum deterrimæ imitationis fuisse accepta. Julius Cæsar primum Dictaturam annuam, mox perpetuam suscepit. Id vero factum exemplo Dictaturæ, quæ florente Republica sumebatur, nemo sane, ne ipse quidem Valsechius, negaverit. At quam dispari ratione! Tunc Dictator in summis periculis pro conservanda Republica dicebatur. Cæsar se Dictatorem voluit, ut eam opprimeret perderetque. Sequuti Imperatores Tribuniciam Potestatem, Proconsulare imperium, Censuram, ceteraque dominationis nomina adscivere ad formam Reipublicæ: sed exemplum in perniciem ipsius Reipublicæ inverterunt. Julii ejusdem Cæsaris, & Augusti titulo Quintilis, & Sextilis menses insigniti. At Nero eo exemplo adductus Aprilem ex suo nomine Neronium dixit, & Domitianus Septembrem, & Octobrem ex appellationibus suis Germanicum, Domitianumque transnominavit, ut Suetonii phrasi utar, cap. 13. Diversa in iis ratio, exemplum simile. Primis Senatus hunc honorem detulit: Nero, & Domitianus per vim occuparunt.

Exem-

Exempla scilicet sæpe in deterius sumta, & quæ antea usu legitimo valuerant, dein ad arbitrium novis ac alienis studiis detorta: etenim *morem accommodari prout conducat*, ajebat Tacitus An. lib. 12 cap. 6.

Quæ contra alterum exemplum Julii Cæsaris Valsechius notat, iisdem fere rationibus confutari possunt. Nam iniverit Julius annos Imperii a Kalendis Januariis ob Dictaturam susceptam, semper verum est, ad eam diem retulisse exordia Imperii, quamquam ejus fundamenta jecerat sub initium Autumni antecedentis, devicto Pompejo. Hoc licet factum diversa ratione, ac fecit Elagabalus, attamen factum ita fuit.

In tertio exemplo multus est Valsechius. Cum enim dixissem, Justinum Juniorem medio mense Novembri Imperium iniisse, sed a Kalendis Januariis sequentis anni dies suos numerare cœpisse, non comparationem cum Elagabalo, sed rem ipsam aggreditur, nec unam *erroris* notam mihi impingit. Quod vero magis est, ea etiam mihi imponit, quæ nunquam dixi, nec vera unquam esse existimavi. Hæc igitur ut a me amoliri studeam, justæ defensionis ratio postulat, & Viri religiosi spectata humanitas non recusabit. Porro cum tempora Justini, atque ejus in primis Consulatus maximis difficultatibus scateant, in quibus expediendis summus Chronologus Antonius Pagius, cui noster Auctor passim adhæret, plurimam operam collocavit, ac cum mihi quædam tum ad impugnatorem meum revincendum, tum ad illustrandum argu-

mentum præclara ac nova bono fato sese obtulerint, diutius in hac disputatione immorandi necessitatem mihi esse impositam, unusquisque facile animadvertet, atque, longior ut sim, æquo animo sustinebit.

Priora itaque Valsechii verba hæc sunt, quibus pag. 63. mecum statim manus conserit. *In primis*, inquit, *suppono, Justinum Juniorem, qui Kalendis Januarii anni Christi 567., ut probat Pagius ad illum annum, Consulatum init, Justiniano successisse medio mense Novembri anni dumtaxat præcedentis 566. quæ est etiam opinio Labbei, & Cointii, aliorumque Recentiorum; ac eundem Justinum deinde putat nonnisi a Kalendis ipsis Januarii supradicti anni 567. annos sui Imperii computasse. Utrumque autem erroris revincitur ex præclaro cujusdam Boetii Epitaphio*: quod producit, & explicat, nosque postea in ejus perniciem expendemus. Hinc præjudicata hac opinione abductus, me conjecisse imperium Justini in annum 566. & ejus annorum initium in proximas Kal. Jan. 567., magnopere insudat, ut me in viam reducat, ac subinde, male me copulasse eorundem annorum exordium cum Consulatu Justini, probare contendit. Hæc ordinatim ut depellam, & sententiam meam explicatius aperiam, visum est rem totam in septem veluti capita dispertire, quorum hæc est summa.

I. Nusquam tradidi, nec in Monumentis veteris Antii, nec in Epistola de Nummo Annię Faustinæ, Justinum Juniorem successisse Justiniano medio mense Novembri anni Christi DLXVI.

II.

II. Neutiquam dixi, eundem Justinum computasse annos sui Imperii a Kal. Januariis insequentis anni DLXVII.

III. Verum puto, & pridem in ea sententia fui, Justinum accepisse Imperium medio Novembri an. DLXV., quamvis explicate iis in locis id non posuerim.

IV. Ex hoc consequitur, me, cum scripsi, Justinum numerasse annos Imperii a Kal. Januariis, intellexisse Kalendas anni subsequentis DLXVI

V. Justinum computasse annos Imperii ab iisdem Kalendis, præter Corippum, quem tum etiam protuleram, novis ac luculentis testimoniis confirmo.

VI. Contra Pagium, & Valsechium contendo, recte a me Consulatum Justini fuisse in A. C. DLXVI. collatum, & male ab ipsis in annum insequentem DLXVII.

VII. Præter illum anni DLXVI. alium etiam Consulatum an. DLXVIII. iniisse Justinum, nunc primum non uno argumento demonstro

Itaque, quod primum, & secundum modo propositum caput spectat, oculis tantum conficienda res est. Perlegamus verba pag. 116. de Mon. veteris Autii. *Justinus Junior medio Novembri imperium accepit. attamen nonnisi a Kal. Januariis proximis, quibus novum Consulatum exorsus est, annos Imperii numerari voluit, ex Corippo lib. 4. de ejus laudibus*, cujus versus aptiore loco repetam. Epistolæ vero de Nummo Faustinæ pag. 376. Diarii Veneti tom. 4. hæc sunt verba latine reddita *Justinus Junior ingressus est Imperium medio* No-

Novembris, sed annos numerare voluit ab iisdem praeter Kalendis. Ubinam, quaeso, sunt anni illi 566. & 567. ad quos Valsechius me retulisse ait Imperium Justini, & ejus computandi initium? Vel cujusnam numinis afflatu ductus divinare potuit, hanc plane mentem meam & opinionem fuisse? Ita integram fere paginam, & praeclarum Boetii Epitaphium perdidit, ut auras diverberaret, & duplicem *erroris* maculam, ubi nulla est, inveniret.

Verum igitur puto, & pridem putavi, quod tertium erat caput, Justinum post Justinianum, qui excessit die XIV. Novembris, statim ad Imperii fastigium fuisse evectum, idque anno Ch. 565. evenisse. Jamdiu est, & antequam Monumenta veteris Antii ederem, cum res nostras Patriarchatus Aquilejensis, *cujus filius sum*, ut de se, & Ecclesia Lugdunensi ajebat D. Bernardus, & potissimum inustam a magno Baronio, aliisque in eum notam Schismaticae originis animo & scriptis agitabam, sed opus non unis impedimentis praepeditum olim conquiescere jussum est. Tunc igitur cum de Synodo Gradensi, in qua anni Tiberii Constantini consignantur, & de imperio Justini, qui eum antecessit, esset disceptandum, quaecunque de Justino ipso ad manus venerant, in adversaria conjeceram, ejusque Imperii initia cum Cardinali Norisio, qui in Dissertat. de V. Synodo cap. 9 §. 2. de eodem Gradensi Concilio differit, ad annum ipsum 565. contuleram. Commodum evenit, ut anno 1691. Romae in hortis Perettis ad Esquilias illustris inscriptio reperta fuerit, quam mecum tunc com-

mu-

municavit Cl. vir, & orbi erudito ob doctrinæ famam notus, Franciscus Blanchinus, nunc a Cubiculo honorario CLEMENTIS XI. Pontificis, eo potissimum Maximi, quia Optimi, in qua Inscriptione Consulatus Justini, ejusque Imperii initia luculenter designantur. Illam postea Raphael Fabrettus Operi suo Inscriptionum pag. 552. inseruit, & hujusmodi est.

HIC REQVIESCIT IN SOMNO PACIS
FLORA QVÆ VIXIT ANN V.D P XXVIII
DEP. SVB. D III ID AVG. IND. XV. P. C.
DOMNI N JVSTINI PP AVG
ANN II.

Insignes ex hoc lapide ad annos Justini constabiliendos colliguntur notæ. Primum falsi sunt Victor Tununensis, Joannes Biclarensis, & Marius Aventicensis, qui scripserunt Justinianum vita functum, & Justinum ad Imperium evectum Indictione XV. quos etiam pridem redarguerant loco citato Cardinalis Norisius, & Petavius Rationarii temporum parte altera lib. 4. cap. 25. Falsique itidem sunt eosdem sequuti Labbeus in concordia Chronol. ad annum 566. & Alamannus in notis ad Historiam arcanam Procopii pag. 178. Nam si Indictio XV decurrebat anno *secundo* post Consulatum Justini, verum esse nequit, ipsum eadem Indictione auspicatum fuisse imperium, & Justinianum mortalitatem explevisse. Indictio XV cœperat mense Septembri an. 566. & erat adhuc in cursu undecima die Augusti anni insequentis 567., qua die Flora deposita fuit. Quod si Augusto mense an. 567. Justinus signabat annum *secundum* post

post sui Consulatum, computato anno ipso Consulatus, modo Victoriano, de quo infra, certum est ipsum inisse Consulatum a Kalendis Januariis anni antecedentis 566. & subinde imperium Novembri anteacto 565. accepisse. Neque enim annus ille II. *post Consulatum* computari potest modo Marcelliniano, numerando ab anno post Consulatum susceptum, nempe ab anno 567. nam si hoc verum foret, depositio Floræ incideret in annum sequentem 568. qui cum Indictione xv. stare nequit.

Et quoniam de hisce diversis loquendi modis, Marcelliniano & Victoriano, sæpius nobis est ingerenda mentio, locus postulat, ut eosdem post Pagium pag. 319. Dissert. hypatica explicemus. Postquam Constantinus ad Imperium pervenit, series Consulum perturbari cœpit: cumque inter tot Augustos eodem tempore conregnantes in renunciandis Consulibus non conveniret, aliquando nulli Consules, vel unus tantum, aliquando plura Consulum paria inter eas discordias designata, indeque hæc formula, *Post Consulatum*, introducta, ne anni absque nota temporis decurrerent. Hoc potissimum invaluit sub Justiniano, licet ipse solus regnaret, nam tum non semel anni vacui relicti sunt, nullo Consule renunciato: ac demum post Basilium Juniorem, qui Consul solus annum Chr. 541 aperuit, penitus ab eodem Imperatore extincta est Consularis dignitas, donec a Justino Juniore, qui post ipsum regnavit, restituta, atque ad solos Augustos translata est. Ergo anni *post Consulatum*, Belisarii, Basilii, aliorumque, quo

quorum nomina iterabantur, alio modo a Continuatore Marcellini, alio a Victore Tununensi numerati inveniuntur. Primus numerare incipit *Post Consulatum* ab anno, qui Consulatum subsequitur, veluti annum 542. hac formula designat: *post Consulatum Basilii*, annum 543. *post Consulatum Basilii anno secundo*, & sic deinceps. Contra Victor putat annos *Post Consulatum* ab ipso anno Consulatus gesti, quem vocat annum *primum*, subsequentem appellat *secundum* &c. Ita ex ejus more annus 541. *primus Basilii* est, annus 542. P. C. Basilii *secundus*, annus 543 *tertius*, & sic de aliis. Justinianus & ceteri post ipsum Augusti modum Marcellini usurparunt, ut ostendemus; isque u sitatior etiam fuit, in Actis potissimum publicis, ut in Instrumento Ravennate, ac aliis, quorum exempla identidem afferemus. In monumentis privatis haud constans obtinuit consuetudo, in una etiam eademque urbe & loco. In hoc Flore, ut vides, mos computandi Victorianus certissime est adhibitus: quod factum quoque apparet in lapide Capuano, ac in clausula Neapolitana, de quibus suis locis. Alia utriusque formulæ exempla passim repræsentat Pagius: qui etiam observat, ignorationem ejusmodi discrepantiæ doctos viros sæpius in errorem adduxisse.

Nunc pergam susceptum iter. Fabrettus cap. 8. Inscriptionum pag. 558. refert hoc Epigramma in iisdem hortis Perettis effossum.

HIC REQVIESCIT IN PACE
CALLIENICVS EVNVCV
S QVI VIXIT ANN. PLS. M XXX
P DE-

DEPOSITVS SVB D III N N
SEPTEMBRIVM IMP. D. N
IVSTINO P P AVG AN G IND V

Docuerat idem vir doctissimus, & dum viveret inter amicos optimus, pag. 540. literam hanc G esse apud Latinos, imitatione Græcorum, Senarii numeri notam, contra Reinesium, qui numerum quinarium significare censet. Ita etiam observat Card. Norisius cap. 3. Dissertationis de Cyclo Ravennate, numerum VI. in eo non binis numeralibus Romanorum literis VI. sed ita frequenter designari, ut prior nota senarii sit veluti G inferius tamen sinuata eo modo, quo numerus sextus in quibusdam Græcorum urbium nummis exprimitur. Adde Mabillonium de re Diplomatica lib. 2. c. 24. num. 12. Quare *Gallicanus depositus est die tertio Nonarum Septembrium, Imperatore Domino Nostro Justino Perpetuo Augusto Anno* SEXTO *indictione* QUINTA. Die tertio mensis Septembris anni 571. labebatur Indictio *quinta*, a proximo die primo cœpta. Quo tempore & decurrebat annus *sextus* Imperii Justini, ejus initium desumtum est ab anno 565. Monumentum aliud cujusdam Gaudiosi Presbyteri, in quo plures & insignes temporum Justini characteres exarantur, Imperium ejus ad eundem pariter annum referentes, mox producam, & illustrabo.

Cum ergo præclara hæc antiquitatis argumenta mihi essent cognita, antequam liber de Antio in lucem prodiret, non poteram ignorare, Justinum summam rerum accepisse anno 565. Ut ea-

taceam de Epitaphio Boëtii, quo me Valsechius ad tacitas redigere putabat: illud enim non solum in Schedas meas jam tum reportaveram ex loco citato Nonsii, sed etiam ejus autographum hisce oculis, quibus nunc utor, Cl. Fabretto duce, Romæ non semel lustraveram, in Ecclesia S. Angeli apud molem Hadriani, in ingressu Oratorii, ad latus sinistrum altaris majoris, non in ejus atrio, ut scribit Valsechius, positum. Hinc gratiam tandem aliquam ab impugnatore meo me initurum spero, quod non tantum adversus Auctores contrariæ opinionis, quos ille citat initio pag. 64., secum vel olim conspiraverim, sed nova in eosdem subsidia, illique ignota, subministraverim, alia etiam ex papyro Ravennate, & ex lapide Capuano suis locis deinde prolaturus.

Quamvis in quarto capite expediendo, in quo demonstrare proposueram, Justinum annos suos numerasse a Kalendis Januariis anni 566. a die nimirum initi Consulatus, multum mihi laboris ac negotii esse videatur, attamen tam firmis illud munimentis, præter Corippi olim quoque allatum testimonium, substruere contendam, ut de ejus veritate dubitari non posse in posterum, sperare ausim. Stephanus Baluzius Miscellan. lib. 5 pag. 478. refert, in veteri Codice manuscripto Collegii Sorbonici hæc haberi in fine libri tertii Periarchon Origenis.

In nomine Domini. Dies Ordinationis meæ, idest, Marti-

ni Presbyteri & Gaudiosi Diaconi. Hic est tertio Idus Martias, tertio post Consulatum Basili V. C. indictione VII. Item in Dei nomine, dies Ordinationis meæ, idest, Gaudiosi Presbyteri, indictione quintadecima, quartodecimo Kalend. Januarii, anno primo Domini Justini Imperatoris, eodem Consule, regnante Domino nostro Jesu Christo in secula seculorum. Amen.

Nobiles sunt characteres, quibus tempora Justini mirum in modum illustrantur. Indictio *quintadecima* die *decimanona* mensis Decembris signat annum Christi 566. decurrentem, cœperat enim mense Septembri antecedente. Si eo tempore Justinus *Consulatum* gerebat; certe illum inierat Kalendis Januariis ejusdem anni 566. At ab eodem die Kalendarum simul cum Consulatu annos etiam Imperii auspicatus fuerat, non vero a medio Novembri antegresso, cum rerum summam adeptus est. Si enim mense Novembri anni 565. cœpisset computare annos imperii, *primo* an-

annus exiisset Novembri an. 566. & Gaudiosi Ordinatio suscepta die 19. Decembris insequentis, labente Indictione XV., signanda fuisset *anno secundo*. At cum Gaudiosus fateatur, se recepisse Presbyteratum *anno primo* Justini, is annus procul dubio ab ipsis tantum Kal. Januariis 566. coeptus est numerari.

Inter tot monumenta, a nobis, a Pagio, aliisque producta, in quibus dies Justini exstantur, hoc unum & Boetii alterum, quod paullo post adducam, rem, de qua agimus, dirimunt. In his quippe solis notæ numerales annorum ejus intra illud temporis spatium conscriptæ sunt, quod a medio Novembri ad Kalendas Januarias intercurrit: quo solum pacto dignosci potest, unde initium Imperii petitum sit. Quare frustra est Valsechius, qui ex Novellis Constitutionibus Justini congestis pag. 65 nostram sententiam impugnare contendit, nam omnes ante medium Novembrem datæ sunt. Præterquam quod longe diversa ratio ab ea, quam ille sibi proposuit, in explicandis iisdem Novellis nobis est ineunda, ut capite sequenti apparebit.

Illos vero temporum Justini insignes characteres recte, & absque ulla erroris suspicione signatos esse, certissime demonstro ex miro consensu Ordinationis Gaudiosi cum iisdemmet temporum notis, & ex alia ordinatione Marini Presbyteri, ac ipsius Gaudiosi, cum ad Diaconatum promotus fuit ita ut omnia hæc sibi invicem lucem mutuam, & auctoritatem conciscant & fœnerentur. In veteri Ecclesiæ disciplina, quæ ad nos usque continenti observatione

de-

defluxit, tempora sacris Presbyterorum, & Diaconorum Ordinationibus sunt statuta, ex Decreto Gelasii Papæ Epistola nona ad Episcopos per Lucaniam, & Brutios constitutos cap. II. Inter quæ tempora unum erat *decimi mensis* jejunium, quo noster Gaudiosus initia Presbyteratus suscepit. Id etiam tunc in usu erat, ut Ordinationes fierent vel ad vespertinum Sabbati desinentis tempus, quod tamen ad diem Dominicum, tanquam ejus partem, pertinere dicebatur, vel horis matutinis ejusdem Dominici diei, continuato Sabbati jejunio. Ita disertis verbis tradit, & præcipit Leo magnus Epist. ad Dioscorum, quæ XI. est in Quesnelli collectione, alias LXXXI. *Hoc volumus*, inquit, *custodiri, ut non passim diebus omnibus Sacerdotalis, vel Levitica Ordinatio celebretur, sed post diem Sabbati ejus noctis, quæ in prima Sabbati lucescit, exordia deligantur ..... Quod ejusdem observantiæ erit, si mane ipso* DOMINICO *die, continuato Sabbati jejunio, celebretur, a quo tempore præcedentis noctis initia non recedunt, quam ad diem Resurrectionis, sicut etiam & in Pascha Domini declaratur, pertinere, non dubium est*. Et infra subdit, *die Dominica, cui a vespera Sabbati initium constat adscribi*. Quod institutum perdurasse saltem usque ad seculum undecimum, constat ex canone Concilii Claromontani sub Urbano II. A. C. 1095. *Ordines omni tempore, vel in vespere Sabbati, vel perseverante jejunio, in Dominica celebrentur*. Inde labente disciplina, quod fortasse tam longum jejunium nimium defatigaret Episcopum ordinantem, & Ordinatos, senim a mane Dominico, & vespere Sabbati ad Ma-

Matutinum ipsius Sabbati tempus, ut hodie moribus inductum est, Ordinationes revocatæ sunt. Hæc necesse fuit explicare, ne quis reputans, olim quoque Ordinationes celebratas fuisse Sabbato, elevare fidem Ordinationis Gaudiosi, & notas temporum Justini subvertere cogitaret.

Itaque Gaudiosus initia suscepit, pro more sui temporis, quod uno seculo, & quod excurrit, ab ætate Leonis distat, ipso die *Dominico* jejunii *decimi mensis*, qui dies Dominicus anno Ch. 566. plane agebatur die xix. mensis Decembris, Cyclo solis 15 Lit. Do. C. Atque ut omnia hujus egregii monumenti inter se ad amussim consentire dignoscamus, ac propterea ut ejus auctoritas magis magisque obfirmetur, placet aliam quoque Ordinationem explorare. Martinus factus est Presbyter, & idemmet Gaudiosus Diaconus *tertio idus Martias*, hoc est die xiii, *Indictione* vii. *post Consulatum Basilii anno tertio*. Is est annus Christi 544., qui *septima* indictione notabatur, & erat tertius a Consulatu Basilii, qui privatorum ultimus processit Consul anno 541. Hæc igitur Ordinatio pariter habita fuit die Dominico, qui eo anno incidit in eundem diem xiii. mensis Martii, Cyclo Solis 21. Lit. Dom. ob bissextum CB. quarum B. tunc usurpabatur. Dies hæc Dominica diebus quindecim antecedebat Paschatis sollemnitatem, quę eodem anno acta fuit die xxvii. ejusdem mensis. Ea vero erat quoque Ordinationibus sacra, ut nunc est ejus Sabbatum, quod vulgo *Sitientes* appellatur, ex decreto Gelasii supra citato: nam subsequebatur *medianam hebdomadam*, uti eam vocat idem Pontifex.

Gau-

Gaudiosus, qui anno 544. Diaconatu fuerat insignitus, post annos tantum xxii. nempe anno 566. ad Sacerdotii dignitatem evectus est. Nimirum primis Ecclesiæ seculis diuturno tirocinio exercebantur, qui ad hunc summum sacrorum apicem adspirabant. Omnes pene antiqui Canones annos quinque & viginti in Diacono triginta in Presbytero requirunt, ita ut inter unum & alterum Ordinem interstitia quinque annorum observari debuerint. Sic decrevit Siricius Papa epist. 1. ad Himerium cap. 9. & 10. & Zosimus Epist. 1. ad Hysichium cap. 3. Primus sedit labente seculo quarto, secundus jam quinto inito. Notat autem Edmundus Martene, unus ex sociis doctissimis Congregationis Parisiensis S. Mauri, lib. 1. de antiquis Eccl. ritibus cap. 8. art. 3. num. 6. decreta horum Pontificum in plerisque vetustis Sacramentorum libris MSS. esse descripta, tanquam certam ab omnibus passim observatam regulam. Aliqui porro & longiora servabant ordinationum intervalla. Cato presbyter quindecim annos sustinuit, ex Gregorio Turonense Histor. Franc. lib. 4. c. 6., & Thomas in actis Concilii Mopsuestiæ, quæ recitantur in Concilio V. generali, professus est, se quinquaginta annos in Clero exegisse, antequam ad gradum Sacerdotalem ascenderet. Insigne hoc epitaphium Latini Episcopi Brixiensis, quod nemo adhuc in hanc rem edidit, ex Philippo Ferrario in Catalogo Sanctorum Italiæ ad diem xxv. Martii, legendum subjicio.

FL.

FL. LATINO. EPISCOPO. AN. III. M. VII. PRAESBYT
ANN. XV. EXORC. AN. XII. ET LATINELLAE. ET. FL. MACRINO
LECTORI FL. PAVLINA NEPTIS. B. M. P

FL. Latinus duodecim annis inuous Exorcistæ obierat, priusquam ad ceteros Ordines, & demum ad Episcopatum erectus esset. De aliis Ordinibus nulla fit mentio, quod fortasse in iis solita intervalla tenuit. Gaudiosus hæc exempla severioris disciplinæ imitari voluit. Quam vero ab hisce moribus posterior ætas in deterius defluxit! Vix prima initia susceperunt nostri, cum protinus ad altiora convolare student, speciosa nomina obtendentes, nunc scilicet flagrantem pietate animum, interdum solatia parentum, & propinquorum vota, sæpius necessitatem Ecclesiæ, emendicatis suffragiis testatam, adduntque etiam potentiorum auctoritatem, importunas preces & tantum non procaces, atque argumenta alia in rem præsentem studiose composita: quibus omnibus undique obtundunt Episcoporum aures, & patientiam usque ad fastidium impellunt ac defatigant.

Quoniam vero in his sum, liceat mihi hoc loco observationem proponere, quam sæpe in tradendis sacris initus animo volutavi. Episcopus in precibus, Orationem vocant, quas fundit in Ordinatione Sacerdotum, Deum obtestatur, ut ii *acceptum secundi meriti munus obtineant*, CENSURAM*que* MORUM *exemplo suæ conversationis insinuent*: & rursus implorat divinæ benedictionis munus, *ut gravitate actuum*, &

Q CEN

CENSURA VIVENDI *probent se feniores*. Hæc ipsa plane verba, imo & integra illa Oratio, qua nunc quoque utimur in Presbyteri Ordinatione, reperitur in antiquioribus Pontificalibus, in quibus *Consecratio* appellatur propterea quod fortasse in ipsa, & in manuum impositione ratio consecrationis Presbyteri consistere crederetur, qua de re latius esset differendum. Extant igitur eadem verba, & integra Oratio in vetustissimo Pontificali Egberti Eboracensis Archiepiscopi, ante annos nongentos literis Saxonicis scripto, & in quatuor aliis ejusdem ætatis: ut recentiora prætermittam, quæ videre poteris apud laudatum Martene lib. 1. de antiq Eccles. ritibus, art II. Præterea habentur in Sacramentario D. Gregorii tom. II. Operum col 1481 edit. Parisiensis an 1675. & in Ordine Romano pag. 94 collectionis Auctorum de divinis Officiis quem Ordinem Melchior Hittorpius in præfatione censet esse antiquiorem Pippino Francorum rege, & fortasse ad Gelasium Papam pertinere. Sane Gelasius scripsit Orationum & Sacramentorum formulas, ut testantur Anastasius in ejus vita, & Joannes Diaconus in vita D. Gregorii lib 2. cap 17. ex quo inferri posset, has quoque, de quibus sermo est, Orationes in Ordinationibus receptas eidem Pontifici esse adscribendas At quoniam Gelasius collegit etiam veteres Precum & Sacramentorum formulas, quæ suo tempore vigebant, inter has potius nostram hanc recensendam hoc maxime suadet, quod pitrasis illa, *censura morum*, & *censura vivendi*, quo spectat mea hæc observatio, licet ævo Gela-

lasii, qui Pontifex renunciatus est anno 492., in usu esse potuerit, attamen superiori seculo, ex olescente jam tum latinitate, ut notavit Casaubonus ad locum Capitolini mox recitandum, frequenti consuetudine obtinebat. Significabat ea phrasis *severiorem morum disciplinam*, eodem auctore ad Trebellii Pollionis caput 3. de vita Gallieni, cujus verba sunt: *Constabat autem* CENSURAM *parcatis*, Valeriani, *cum ferre non potuisse* Vel pro *severitate & exactiore disciplina* accipiebatur, eodem pariter Casaubono adnotante ad Capitolinum de vita M. Aurelii Antonini cap. 22. ubi ait: *Res etiam in Sequanis turbatas* CENSURA, *& auctoritate repressit*. His addo, eam quoque significationem, imo & a speriorem usurpasse Vulcatium Gallicanum in vita Avidii Cassii cap. 13. de quo hæc scribit: *Cujus ipsius mores varii semper fuerunt, sed ad* CENSURAM, *crudelitatemque propensiores*. At idem Vulcatius cap. 12. refert Epistolam M. Aurelii Antonini ad Senatum, quæ si ipsius Marci autographa est, & non potius verbis Historici conscripta, *Censuræ* nomen in hanc significationem, de qua agimus, etiam secundo seculo viguisset. Verba Epistolæ sunt: *Nunc quod ad defectionem Cassianam, pertinet, vos oro, atque obsecro* P. C. *ut* CENSURA *vestra deposita meam pietatem clementiamque servetis*. Porro tres illi historiæ Augustæ scriptores seculo quarto, ætate Constantini Magni florebant. Hoc eodem fere ævo sculpta est inscriptio apud Cruterum pag. CCCLIII. num. 4. quæ narrat, *statuam auro superfusam* locatam fuisse Anicio Paulino Juniori Consuli Ordinario ob meri-

tum *nobilitatis*, *eloquii*, *justitiæ*, *atque* CENSURÆ. Anicius Paulinus Jun. Consul processit an. Chr. 334. Itaque cum in eum plane sensum accipienda sit sacra illa phrasis nostrorum Pontificalium, *Censura morum*, *censura vivendi*, pro *severiori* scilicet & *exactiori morum*, & *vivendi disciplina*, quam in Sacerdotibus suis optat Episcopus, videtur conjectari posse, preces memoratas, & Orationum formulas, quibus etiamnum utimur, conscriptas fuisse & conditas quarto circiter Ecclesiæ seculo.

Nunc a diverticulo in viam redeamus. Cum ergo in scheda Sorbonica tempora Ordinationis Martini & Gaudioli tam belle inter se, & cum vetere disciplina consentiant, fateri cogimur, chronologicos quoque Justini characteres pari fide & accuratione fuisse consignatos. Illud etiam accedit ad majorem huic præclaro monumento auctoritatem asserendam, quod temporum notæ non numeris, in quos sæpius vitium irrepit, sed literis communibus conscriptæ sunt. Quare tot in unum confluentibus argumentis, satis constare videtur, Justinum Imperatorem annos suos numerasse a Kalendis Januariis anni 566 quibus Kalendis etiam Consulatum inivit, non vero ab sui inauguratione medio Novembri 565. suscepta.

Rem novam Valsechio futuram atque inexpectatam proponam. Adduxerat ille pag. 64., uti vidimus, lapidem sepulcralem Boetii, ut meam hanc de annis Imperii Justini numerandis sententiam tanti ponderis momento elideret. At saxum hoc ipsum, quod ne cogitasset quidem

un

unquam, tantum abest ut eam convellat, ut plane fulciat magis ac firmet. Partem tantum Epitaphii ille exscripsit, nos integrum damus, quod ad temporum notas attinet, servata apicum forma, & linearum omnium præter ultimam longitudine, uti est in marmore. Illud etiam legitur apud Aringhum lib. 2. Romæ subterr. c. 10. pag. 204. a quo habuit Reinesius inscrip. Class. xx. nu. 62. pag. 912. & Pagius in Critica an. 574. num. I.

DEP. EST BOETIVS CL. P. OCT. KAL. NOBR. INDICT. XI. INP.
DON. N. IVSTINO PP. AVG. ANN. XII. ET TIBERIO CONST. CAES.
ANN. III. DEP. EST IN PAC. ARGENTEA MAT. S. XIII. KAL. DECEMB.
QVI S. BOETIVS VIXIT ANN. XL M. VIII. D. XXIII. ET MAT. EIVS VIXIT
ANN. XXXVI. M. II. D. XII.

Depositus est *Boetius Clarissimus Puer Octavo Kalendas* Novembris, vel die XXV. Octobris, *anno* XII. Justini, & III. Tiberii Cæsaris, *Indictione* XI. inchoata Septembri, qui characteres in annum Chr. 577. confluunt. mater vero ejus *Argentea* deposita est XIII. Kal. Dec. seu die XIX. Novembris. Non negabit, ut puto, Valsechius, depositionem Argenteæ contigisse eodem anno, quo contigit depositio filii, sola dierum quinque & viginti distantia intercurrente, cum utraque sub iisdem temporis notis continuata oratione recenseatur. Ergo Argentea defuncta, seu terræ mandata est anno 577., die XIX. Novembris, labente anno Justini XII. Si Augustus iste numerasset annos ab sui imperii Natali, a die nempe XV. Novemb. mensis A. C. 565., annus ejus *duodecimus* exiisset anno 577. cum eodem die XV. Novembris.

bris & proinde Auctor Epitaphii non consignasset depositionem Argenteæ sub eodem *duodecimo* ejus anno, quo scripsit depositionem Boetii, sed debuisset eam copulare cum anno *decimo tertio*, jam inchoato ante quatuor dies, nimirum die XV. ejusdem Novembris. At cum sciret ille, annos Justini computandos esse a Kalendis Januariis, propterea tam depositionem Boetii, quam Argenteæ sub eodem XII. Imperii anno posuit: is enim, cum cœptus esset a Kalendis Jan anni 577, erat adhuc in cursu tam die XXV. Octobris, quam die XIX. Novembris ejusdem anni. Porro cum Tiberius a Justino fuisset renunciatus Cæsar mense Decembri A. C. 574, ut probat Pagius ad hunc annum, recte annus ejus tertius cum utraque depositione competebat.

Duabus hisce facibus prælucentibus, clarius nunc patebit, ad hoc ipsum annorum Justini exordium referendos esse versus Corippi lib. 4. de laudibus ejusdem Justini, quos ego in eum sensum jam olim explicaveram, de Monumentis veteris Antii pag. 116. Valsechius autem ad altera, ut mox ostendam, detorsit. Poeta inducit Senatum ita ad Justinum loquentem.

Salve Augustorum numeri non ordine prime,
Sed meritis, largitor opum, largitor honorum,
Libertatis apex, mundi caput, unica virtus,
Et rerum manifesta salus, reparator opimi
NOMINIS. Antique redeunt nova sæcula fasti,
Auguste primum renovasti Cæsares ævum.
Clarius est, meliusque tuum tua gaudia tecum.
HINC vester PRIMUS feliciter excipit ANNUS,
Votaque plura tuis celebret nova Roma triumphis.

Hos

Hos versus ita exponit Valsechius pag. 67. ut cum Justinus Consulatum jam pene abrogatum restituisset, ab eo, utpote perpetuo ab Augustis gerendo, non minus quam ab Imperio eorundem Augustorum annos numerari constituerit, atque ideo Corippus annum illum, quo Justinus Consulatum auspicatus est, *primum* ejus *annum*, Epochæ scilicet a Consulatu deductæ, vocaverit. Fundum hujus interpretationis habuit ille a Pagio Dissertat. Hypat. pag. 330. At Pagius, quamvis asseveret, Justinum duas Epochas statuisse, alteram ab Imperio, alteram a Consulatu deductam, dum tamen trahere in suam sententiam Corippi versus contendit, plane in nostram vel invitus, urgente veritate, delabitur. Postea enim quam dixit, duas fuisse rationes numerandi annos Imperii Octaviani Cæsaris a Consulatu petitas, quippe alii eos annos a primo Consulatu computabant, cum devicto Antonio Mutinensi bello fundamenta principatus jecit, alii a septimo Consulatu, cum imperium illi a Senatu firmatum fuit, datumque nomen Augusti, in hæc verba subinde concludit *Justinus igitur Augusti exemplo, restituto Consulatu, ab eo Imperii sui annos numerari voluit, quod indicat Corippus*; cujus carmina statim recitat. Ergo Corippi sensus hic est, fatente Pagio, ut Justinus *Imperii* sui annos a tempore, quo *Consulatum* suscepit, computaverit. Quæ eadem ipsa sententia nostra est. Porro & verum quidem est, Augustum, seu scriptores, qui Epochas Augusteas ordinarunt, annos ejus Imperii cum memoratis Consulatibus copulasse: qua de re viden-

dendus est Petavius de doctrina temp. lib. 10. cap. 66. & 72. Quod respiciens Corippus ait, Justinum renovasse *aevum Augusti*, sociando nimirum ad ejus imitationem initia Imperii cum Consulatus exordiis.

Et sane ita esse explicandum Corippum, contextus ipse verborum suadere videtur. Nam postquam narravit, Justinum reparasse *opimum nomen*, hoc est Consulatum, & renovasse *Augusti Caesaris aevum*, *hinc*, ait, nimirum ab *hoc Consulatu*, Augusti exemplo, *primus vestes annus*, scilicet Imperii, *excipit*, seu incipit, vel desumitur. Quod idem est, ac si dixisset: primus annus Imperii Consulatui junctus numerari coeptus est. Neque enim mihi persuaserim, quod putat Valesius, *primum* eum *annum* apud Corippum esse Epocham Consulatus distinctam ab Epocha Imperii. Praeterquam enim quod aliter locutus fuisset Poeta, si distinguere Epocham Consulatus ab Epocha Imperii voluisset, certum est, quandocunque *annus primus*, *secundus*, aut alius quispiam alicujus Augusti solitarie absque alia nota effertur, eum semper designare annum Imperii. Ita, ne aliunde testimonia, quae passim occurrunt, conquiramus, in Epitaphio Boetii annus XII Justini, & III Tiberii, in altero Callienici annus VI & demum Gratiosi annus I annos imperii procul dubio demonstrant. Quid igitur Corippus, proscripta vulgari & trita significatione, annum *primum* Justini ad alienam & insolentem traduxisset? Demum si Gaudiosus, & Auctor Epigrammatis Boetii, annos Imperii Justini, ut vidimus, ab ini-

ito Consulatu inchoaverunt, non aliter Coripus est intelligendus. Porro Justinus Epocham Imperii, die suo natali posthabito, ad Kal. Januarias transtulisse videtur, ut Consulatus sui, tanta populorum lætitia ac plausu, & tanto apparatu ac pompa, munerumque largitionibus instaurati, memoriam celebriorem auspicatioremque redderet.

Nondum tamen noster Auctor acquiescit. *Tantum enim abesse ait, ut Justinus a tempore, quo Consulatum suscepit, annos Imperii putarit, quin potius annos ipsos Imperii ab annis Consulatus diduxerit.* Siquidem notari jubet, Justinum, cum Consulatum qui ab aliquot annis, nimirum a Consulatu Basilii Junioris, pene abrogatus censebatur, restituit, seu novam potius ejusdem Consulatus formam, qua is nempe a solis Augustis sine Collega, ac perpetuo gereretur, invexit, statuisse etiam, ab eodem Consulatu, non minus quam ab Imperio, Augustorum annos esse numerandos: qui sane mos ab ipso Justino usque ad Constantium Pogonatum perduravit. Quæ cum a Pagio loco citato, paucis verbulis immutatis, Valsechius sumsisset, ex ejus etiam paginis sequentibus, ut non uno exemplo rem confirmaret, mutuatus est quatuor Novellas Justini: quarum prima data est *Kal. Mai. Imperii Justini anno* III. *Conf. ejusdem* II.: altera *Kal. Mart. anno* V. *Ind.* III. *post Conf. anno* II. vel IV. ut cum Baluzio, & Pagio emendat: tertia XV. *Kal Jun anno* VII. *post Conf an.* VI. & quarta demum XV. *Kal Febr. anno* VIII. *post Conf. anno* VII. quas pariter post eun-

R dem

dem Pagium ita correctas exhibet. De his Novellis, & potissimum de prima, ejusque germana explicatione latius alibi differemus. Interim, quod rei præsentis est, paucis Valsechium expediam.

In eo ergo stat Auctoris nostri argumentatio, ut quoniam in hisce Novellis Justinus distinxit annos Imperii ab annis Consulatus: ut in prima notatur annus Imperii *tertius*, & *secundus* post Consulatum, & sic in aliis, unius semper anni discrimine, verum propterea nequaquam esse possit, eundem Augustum deduxisse annos Imperii & Consulatus ab uno eodemque principio, nimirum a Kal. Januariis anni 566. At fane hæc, quæ ita sibi V. C. proposuit, minime adsequutus est. Debebat enim animum advertere ad Pagii institutum, atque ad ejus rationem computandi annos Postconsulatuum iisdem Novellis inscriptos. Collocaverat Pagius Consulatum Justini A. C. 567. ad quem referendi erant Postconsulatus in Novellis adnotati. Quod ut faceret, duo sibi sumere necesse habuit: primum notas annorum, ut in annum 567. competerent, arbitrio suo emendavit; ac deinde annos numeravit modo Victoriano, eos nimirum computando ab ipso anno Consulatus gesti. Prima Novella data est *tertio* Imperii Justiniano, nempe A. C. 568 *post ejus Consulatum anno secundo*. Ait enim Pagius, *Consulatum*, in ea ita sine additione scriptum pro *post* Consulatum esse acceptum. Secunda notata est *anno* V. *Ind.* III., scilicet anno 570., *post Cons. an.* II., quem annum Pagius & Valsechius malunt legere IV. Itaque ex Pagiano calculo primis Novellæ annos *secundus*

dus post Conf., & alterius annus *quartus* desinuntur modo Victoriano ab anno 567. Consulatus Justini. Hinc cum exordia Imperii hunc Consulatum uno anno antecedant, nil mirum, si in Novellis anni Imperii distincti & diversi ab annis Consulatus appareant. At quoniam hæc falsa sunt: non enim Justinus Consulatum suscepit anno 567. nec anni Postconsulatuum in iis Novellis ad hunc sunt referendi, sed ad secundum ejus Consulatum initum anno 568. neque Justinus modum Victorianum adhibuit: nec Consulatus pro Postconsulatu in prima Novella est accipiendus: nec demum secunda eget emendatione, quæ omnia capite sequenti demonstrabo, proinde Valsechius nihil subsidii poterat ex hac annorum discrepantia in rem suam sibi petere. Nullum ergo certum & indubitatum monumentum ille habet, quo annos Imperii ab annis Consulatus dissentire cognoscamus. Atqui si hoc illi fors improspera non detulit, nobis certe melioribus avibus adrisit, quæ auream Gaudiosi Inscriptionem largita est. In qua tantum abest, ut diversi appareant anni Imperii ab annis Consulatus, ut mire simul conspirent, atque uno eodemque temporis nexu colligentur: nam Gaudiosus facta initia suscepit, *anno* Justini *primo*, & *eodem Consule*. Ex quo demque manifeste constat, nisi certioribus, si superi faveant, & luculentioribus momentis contrarium nos V. C. doceat, Justinum a tempore, quo Consulatum accepit, annos Imperii putasse, nempe a Kal. Januariis A. C. 566.

Ceterum non recte ajebat idem eruditus Vir,

Justinum, cum Consulatum ab aliquot annis abrogatum restituit, statuisse etiam, ab eodem Consulatu non minus quam ab Imperio annos Augustorum numerandos esse. Nam publicis Actis inscribi Consulatus notam vetus fuit institutum, & ab ipsis Reipublicæ temporibus petitum. Cum vero, ut antea dixi, post Constantinum ob bella & regnantium dissidia nulli aliquando Consules renunciati essent, factum est, ut anni, ne absque nota temporis defluerent, ab ultimo Consule sub hac formula, *post Consulatum*, deducerentur. Inde abrogata a Justiniano Consulari dignitate post Basilium, qui postremus eam administravit A. C. 541. eadem formula quatuor & viginti annos subsequentes occupavit. Quam dignitatem Justinus cum restituisset anno ipso primo Imperii sui, deinceps nil novi induxit, sed notam eandem *post Consulatum* ad annos sequentes connotandos usurpavit.

Quod pertinet ad annos Imperii, non ejusdem Cæsaris illud pariter inventum fuit. Quippe Justinianus A. C. 537 jam decreverat, ut *in omnibus monumentis Imperii* nomen Imperatoris adscriberetur, Novella 47, quæ extat in Authent. collat. 5. tit. 3. *Sancimus*, inquit, *hoc modo incipere in documentis. Imperii illius Sacratissimi Augusti Imperatoris anno tertio* (puto legendum anno *illo*) & *post illam inferre Consulis appellationem, qui in illo anno est, & tertio loco Indictionem, mensem, & diem*. Deinde ad exemplum subjicit etiam formulam eo anno decurrentem *Imperii Justiniani Sacratissimi Augusti Imperatoris anno* XI, & *post Consulatum Flavii Belisarii Clarissimi viri anno* II. *12. Kal. Junii*.

E-

Ejus rei specimen illustre præbet Charta *plenariæ securitatis*, de qua proximo capite, cum hisce temporum Justiniani characteribus *Recitatum est Imp. D. N. Justiniano PP. Aug. anno tricensimo octavo Post P. C. Basilii anno vicensimo tertio prid. Iduum Juliarum Ind. duodecima Ravennæ*. Alterum est apud Balsamonem lib. IV. Constitut. XVII, uti refert Pagius pag. 325 Dissertat hypaticæ. *Dat. Kal. Aprilis Constantinop. Imperatoris Justiniani anno XXXIX. post Conf. Basilii* XXIV. Justinus ergo duas Epochas Imperii & Consulatus pridem sancitas continuavit nec quicquam aliud immutavit, nisi quod, cum Consulatum sine Collega ad Augustos transtulisset, ab ipso suo Consulatu annos consequentes numerari voluit, non a Consulatu Basilii, eadem tamen, quæ post hunc in usu erat, *post Consulatum*, formula retenta. Ac præterea firmius constabilivit sanctionem Justiniani, quæ non semper observata fuerat, ut videre est in pluribus ejusdem Constitutionibus, adjecta scilicet ubique in suis Novellis nota Imperii ad Postconsulatus annos. Porro Imperii Epocha non ideo cum altera Consulatus inducta fuit, ut utriusque anni distinguerentur, quod nobis suadere voluit Valsechius, sed quia, ait Justinianus in eadem Novella, *memoria temporis commemoratione ornatur Imperii, atque absurdum est, in documentis, & iis quæ in judiciis aguntur, & absolute in omnibus, in quibus memoria fit quadam temporum, non Imperium hic præponi.*

CA-

CAPUT VIII.

DE DUOBUS CONSULATIBUS JUSTINI.

Justini Junioris Consulatus primus A. C. 566. *gestus, & alter* A. C. 568. *contra Pagium demonstrantur. Floræ Epitaphium, & Sebeda Gaudiosi denuo sub examen. Corippi poema per tempora digestum. Instrumentum antiquum Ravennæ scriptum in papyro Ægyptiaca, in quo Consulatus secundus, & aliæ temporum Justini notæ. Quid statio in subscriptione ejusdem Chartæ. Moneta est ipsa Officina, seu fabrica monetaria. Palatium Imperatorum quo loco situm fuerit in urbe Ravennæ. Fasti Eracliani, in quibus duo Justini Consulatus. Pagius castigatus. Justinus nequaquam instituit Consulatum perpetuum. Pagius iterum refellitur. Justinus Postconsulatus annos modo Marcellinianо computavit: uti factum quoque ab Justiniano, & Tiberio. Novellæ Justini perperam a Pagio, & Valsechio emendatæ, Consulatum secundum produnt. Qui etiam ex Epitaphio Capuano confirmatur. Episcoporum consecrationis dies, Indictio capta a Kal. Septembris mensis, atque initium Justini ex eodem elogio illustrantur. Idem Augustus Consulatum non gessit anno 567. adversus Valsechium & Pagium, cujus argumenta fin-*

singula, ex Fastis Massæorum, Mario Aventicensi, Chronico Alexandrino, & Theophane petita, rejiciuntur.

ANtonius Pagius, de doctrina temporum nostro ævo optime meritus, in Dissertatione hypatica pag. 331., & in ejus Prolegomenis num. 43, ac demum in Critica Baron. ad an. 567. num. I. *certissime* constare ait, Justinum Juniorem gessisse Consulatum *duntaxat* anno eodem 567; ac proinde *errare* Auctorem Chronici Alexandrini, & Marium Aventicensem, qui Justini Consulatum cum primo Imperii ejus anno copulant; & *errare* pariter Baronium, Norisium, & Calvisium, qui eundem Consulatum in annum 566. *male* conferunt. Si vera hæc sunt, iis omnibus, quæ superiori capite asserui, nuncium cogor remittere, & Cl. Valsechio, qui tanto duce præeunte mihi bellum indixit, manus victas dare. Verum, quod proposui capite antecedente, ostendam, *errare certissime* Pagium, ut sua illi verba reddam, atque ipsum Valsechium, qui ejus sententiam adoptavit: optime autem a me, ac viris illis doctissimis Consulatum Justini fuisse in annum 566. collatum, & *male* ab ipsis in annum insequentem 567.

Atque ut *nulla pro re Chronologica firmiora & illustriora argumenta, quam quæ ex vetustis inscriptionibus eruuntur, proferri queunt*, quæ sunt verba Valsechii in limine operis sui, huc in primis revocandum est Epitaphium Floræ, quod supra descripsi.

psi. Deposita fuit Flora, SVB DIE III. IDVS. AVGVSTI. INDICTIONE XV. P. C. DOMINI. N. IVSTINI. ANNO. II. Si *secundus* annus post Consulatum Justini colligatur cum Indictione XV. nimirum cum anno 567., profecto Justinus ipse Consulatum gesserat anno antecedente 566. qui *primus* est, pro more loquendi Victoris Tununensis, quem sequutus est auctor hujus Epigrammatis, ut capite superiori ostensum est. Evidentius vix quicquam esse potest. Et si cum Pagio & Valsechio Consulatus Justini tribueretur anno 567., monstrum omnino admittere cogeremur, ut scilicet annus *secundus* post Consulatum esset annus ipse Consulatus.

Repetamus hic pariter schedam Sorbonicam Gaudiosi. Eam ita inscriptam dedimus: *Indictione quintadecima, quartodecimo Kal. Januarii, anno primo Domini Justini Imperatoris*, eodem CONSVLE Indictio XV. die 19. Decembris, cœpta mense Septembri antecedente, certissime signat annum Ch. 566 proxime exeuntem quod aliis etiam indubitatis indiciis supra firmavimus. Tunc *Consul* erat Justinus. Ergo Consulatum inierat Kalendis Januariis ejusdem anni 566. Rursus si per id temporis labebatur annus ejus Imperii *primus*, recte Auctor Chronici Alexandrini, & Marius Aventicensis alligarunt Consulatum Justini *primo* ejus anno; quod intrepide falsum pronunciaverat Pagius.

Duo hæc præclara, & fidei exploratæ testimonia, quæ fuerunt ignota Pagio & Valsechio, satis essent ad probationem omnem conclu-dam

dam firmandamque. Accedit præterea veterum scriptorum auctoritas, atque in primis ejus, qui Fastos Græcos Heraclianos concinnavit, de quibus postea, qui ferme Justino suppar apertissime notat ejus *Consulatum primum* sub Indictione xiv. quæ anno 566. decurrebat. Consentiunt Auctor anonymus Chronici Alexandrini, ac Marius Aventicensis, paullo ante memorati, qui Consulatum Justini cum anno ejus primo conjungunt.

Cardinalis Norisius in Dissertatione de Synodo V. cap. 8. §. 2. Justinum suscepisse Consulatum anno 566. probari ostendit *testimonio irrefragabili* Corippi Grammatici Africani lib. 1. de laudibus ejusdem Justini, ubi, inquit, *cum Poeta narrasset Justiniani mortem, & Justini inaugurationem, novum Principem ad populum hæc cetera inter verba dicentem inducit*

.... nomenque negatum
Consulibus Consul post tempora cuncta novabo,
Gaudeat ut totus Justini munere mundus.
Dona Kalendarum PROPERANT VICINA *mearum*
Vos vestri adstate locis, properate, parate,
Tempusque die nostras sperate curules.
Exsultans gaudens magno nomine vulgus
CONSULIS *audito........*

Merito Cardinalis doctissimus hoc Corippi testimonium *irrefragabile* vocat. Nam si Imperator in sui inauguratione, quæ medio Novembri an. 565 acta est, *properare* ait *vicina* dona Kalendarum, in quibus Kalendis processurus erat Consul, non de aliis certe Kalendis, quam de

S pro-

proximus Januarii mensis insequentis an. 566. intellexisse dicendus est. Attamen quia Pagius, quamquam vidit hunc locum Norisii, ab eo tamen hoc sibi persuaderi passus non est: nam eos ipsos versus Corippi ad Kalendas Januarias anni 567. traducit, eodemque anno Justinum gessisse Consulatum autumat, ideo mens & sensus Corippi, secundum Norisii sententiam, ex serie rerum & temporum, quæ ab ipsomet Poeta digesta sunt, firmius & luculentius sunt mihi constabilienda.

Decessit Justinianus nocte insequente diem XIV. mensis Novembris anni 565. Quæ ea nocte acta fuerunt post obitum Imperatoris, describit Poeta Libro primo. Ab *aurora* diei advenientis orditur alterum Librum, qua die primum Justinus pias ad Deum preces fundit, postea *sacro diademate*, & quidem a Joanne Patriarcha, ut refert Theophanes, coronatur Senatum, dein Populum in Circo alloquitur, ac inter cetera Consulatum promittit verbis, quæ modo recitavimus. In quibus, quid *properare vicinas* Kalendas dixisset Imperator, si Consulatum, ut putat Pagius, distulisset in annum 567.? An *vicinæ* sunt Kalendæ Januariæ anni 567., quæ alias Kalendas intermedias, anni nempe 566, ante se habent? Insuper populum jubet sperare *Curules* Consulares *promissa die*. Quis credat, spes populi & promissa sua fefellisse Justinum, & Consulatum non suscepisse ipsis *vicinis* Kalendis anni 566 proxime advenientis, sed eum remisisse in annum 567. insequentem?

Hinc Justinus, adhuc in Circo cum esset, de-

debita Patris dissolvit, carceribus detentos liberavit, populoque dimisso *arcem remeavit in altam*, cum ageretur *hora sexta* ejusdem diei, ut statim initio tertii Libri memorat Poeta. Tunc invisit cadaver Patris, illud sepulturæ mandavit, atque exinde paratæ sunt epulæ ipsa *prima die*. Mox subjicit: *Septima gaudentem lux aurea viderat Orbem*, cum Imperator vocavit Proceres, Palatiumque regiis ornamentis apparavit deinde excepit Legatos Avarum, eisque responsa forti animo & constanti dedit. Statim auspicatur Poeta quartum librum his verbis

Jam vicina dies spectandi Consulis omnes
Urgebat turmas, arcus statione replere,
Et loca, quæ populis Præfectus deputat urbis.

atque inde sequitur prolixa descriptio ingentis structuræ operum ligneorum ad loca aptanda & sedes, ex quibus populus spectaturus erat Processum Imperatoris Consulis. Quæ cum narret fieri cœpisse post *septimam* diem a suscepto Imperio, manifesto apparet, proximis Kalendis Januariis sollemnitatem Consularem celebratam. Si enim ea sollemnitas dilata fuisset post annum, & quod excurrit, nempe usque ad initium anni 567. ex Pagii sententia, quid opus erat tam subito constructionem operum aggredi, & tanta sollicitudine, & festinatione perficere? Quippe in ipsa apparatus hujusmodi descriptione passim emicant argumenta demonstrantia, celeriter & modico temporis spatio expletam fuisse fabricam illam operum: ita ut, lignis aridis deficientibus, etiam oportuerit succidere arbores ex silvis, eisque uti ad *ædes*, ut

S 2 ele

eleganter ait Poeta, *pendentes* construendas. Ideo ergo tanta festinatione parata sunt omnia, ut ad vicinam instantium Kalendarum pompam præsto essent. Ex pluribus hos tantum versus recito

Tunc partes munire suas, spatiumque parare
ACCELERANT .... nova fabrica surgit;
Turbatur tota lignorum venditor urbe
Emptorum numero, studio ruit agmen emendi.
Robora silvarum tunc plaustra gementia ducunt,
Magnis ponderibus tractu stridente rotarum
Explicitæ moles nec sufficit arida tantum
Ligni materies, ratibus tunc ire per urbes
Finitimas, ferro virides succedere silvas

Tandem *jubar axe sereno emicuit*, cum Officia, quibus ea cura, parant dona *Kalendarum*, aurumque & argentum deferunt, ac sportis capacibus adcumulant, ut Senatui & populo distribueret Imperator cujus subinde processum in templum Sophiæ, & in arcem Consulis Poeta enarrat. Hæc gesta esse ipsis Kalendis Januariis, quæ subsequutæ sunt Natalem Justini, videlicet primo die anni 566., ex ipsa rerum & temporis succedentis connexione, uti explicatum est, nemo, arbitror, poterit dubitare.

Ergo si Justinus Consul processit A C 566., ut tot congestis argumentis jam certum videtur, abjiciendus est Consulatus anni 567., quem nobis Pagius cum Valsechio fidenti animo propinavit Præterea nova nobis comparata monumenta, aliaque pridem non ignota impellunt, ut eidem Augusto alium quoque Consulatum A.C. 568 gestum tribuamus qui pro-

fe-

secto Consulatus cum *secundus* Justini notatus inveniatur; si *primus* actus est, ut ostendimus, anno 566, ejusdem Pagii Consulatus intermedius a Fastis omnino expungendus est.

Ut rem hanc aliis fere intactam, scilicet Consulatum Justini iterum sumtum A. C. 568 perse quar, occurrit in primis nobilissimum antiquitatis cimelium, quod cum hactenus latuerit, dignum nuper possessorem invenit. Instrumentum hoc est venditionis fundorum & ædificii in agro Ariminensi, scriptum Ravennæ sub Justino Juniore Imp. A. C. 572., quod extat autographum in papyro seu cortice Ægyptiaco apud amicum summum meum, & popularem, ut Verbis Terentii loquar, & laude literarum illustrem, Justum Fontaninum a Cubiculo Honorario Pontificis Max. CLEMENTIS XI qui ut summa dignitate, ita & sapientia summa longe ceteris mortalibus antecellit. Hoc porro Instrumentum præ omnibus, quotquot hodie superesse cognovimus, æstimandum est, veluti integerrimum a capite ad calcem, licet alicubi præcipue ad oras laterales papyrus sit nonnihil semesa, utpote olim in loculo ex metalli lamina, ceteroquin parum apto, servata qui cum circumferretur, papyrum inclusam, nec bene compressam, fusque deque agitari, & crebros ictus pati oportuit. Papyri longitudo æquat palmos Romanos architectonicos XII., latitudo autem sesquipalmum non excedit. Character est plane Gothicus, qualis nempe Ravennæ obtinebat, quo tempore Langobardi Italiam irruperunt. idemque prorsus ac ille, quo scripta est celeberrima *Charta plenariæ securitatis*,

edi

edita Ravennæ sub Justiniano Imperatore A. C. 564., jamdudum laudata a Cujacio, Lipsio, & Salmasio, quam primo edidit Barnabas Brissonius, & postremo ad ipsum archetypum Bibliothecæ regiæ, typis æneis incisam repræsentavit Mabillonius in supplemento diplomatico pag 73. disposita inter versus vulgari lectione ad levandum studiosi lectoris laborem. Eam seorsum etiam edidit pag. 90. cum prius de illa disseruisset pag 55. & 56. Pro specimine nostræ papyri damus ejus initium, continens Chronologicas notas Imperii Justini, cui etiam addimus subscriptionem Notarii Ravennatis, cum literarum expositione ad Methodum Mabillonianam. Illud vero specimen est adamussim expressum ad formam characterum ipsius autographi, nec non latitudinem, longitudinem, & linearum distantiam. Omnia diligentiæ & accurationi ejusdem egregii Viri debemus qui etiam æream laminam sedulo sub ipsis suis oculis incisam ad me transmisit.

Itaque, ut vides, Instrumentum nostrum has notas chronologicas exhibet. *Imperatore Domino Nostro Justino Perpetuo Augusto anno* SEPTIMO, *post Consulatum ejus* SECUNDO *anno* QUARTO, *sub die* TERTIO *Nonarum Juniarum*, *Indictione* QUINTA. En tibi literis explicatis expressum Consulatum *secundum* Justini: nam illud *secundo* stat ad modum adverbii, ut sit sensus *anno quarto post Consulatum secundo* gestum a Justino. Ergo ab hoc *secundo* Consulatu numerati sunt anni *Postconsulatus*. Quippe Instrumentum est editum A. C. 572., quo sub die tertia mensis

Ju-

Partu| Imperatore A D 572

do a[nno]

[ta] R a[uenn]

no V H

ı s

Junii labebatur Indictio *quinta*, & annus *septimus* imperii Justini. A quo anno retrocedendo cum *anno quarto* post Consulatum ejus, modo Marcelliniano, devenimus ad annum 569. qui primus est post Consulatum *secundo* gestum a Justino anno antecedente 568. Clara hæc sunt, nullisque tricis involuta. Porro Ravennæ in Actis publicis usitatum fuisse modum computandi annos Postconsulatus Marcellinianum, evincit memorata *Charta plenariæ securitatis*, octo tantum annos ante hanc Fontaninianam in eadem urbe conscripta, in qua, ut vidimus capite antecedente, annus XXIII. P. C. Basilii colligatur cum Indictione XII seu anno 564 qui annus capit initium ab anno 541., qui subsequitur Consulatum ipsius Basilii.

Pagius ubi de altero Justini Consulatu a quibusdam memorato agit, deceptos eos clamat, quod Justinum Juniorem cum Justino ejus consanguineo, anno 540. Consule ordinario, confuderint. At nemo certe notam hanc Notario nostræ Chartæ Ravennatis inusserit, qui vivebat sub ipso Justino Imperatore. Qui enim fieri unquam potuisset, ut qui in *splendidissima* & præcipua Imperii urbe degebat, quique *stationem* sui Tabellionatus in ipsa *porticu sacri Palatii* habebat, rem tum vulgo tritam ignorasset, & formulam qua Acta publica signari consueverant? Præterea credendum est, hanc eandem formulam passim Ravennæ a Notariis usitatam, omnibusque exploratum fuisse, quot Justinus Imperator Consulatus gessisset. Tandem a quo Consulatu Justini numerandus erit annus *quartus* ejus Post-

con-

consulatus in papyro conscriptus? Non utique a Consulatu nostro anni 566., neque a Pagiano 567. neutri enim aptari potest idem annus *quartus* colligatus anno Imperii *septimo*, & Indictioni *quintæ*. Ergo dumtaxat ab anno 568. cum quo ceteri characteres Chronologici concurrunt. Porrocum dubitandum non sit, Justinum fuisse Consulem anno 566., ut supra abunde probatum est, certe Consulatus anni 568. a quo desumitur Postconsulatus ejus *quartus*, erit *secundus* Consulatus ipsiusmet Imperatoris.

Pro specimine Instrumenti adjecimus subscriptionem Tabellionis, seu Notarii, quæ cum suis nævis talis est: *Ego Johannes Fort hujus splendidissimæ urbis Ravennatis habens stationem ad Monitam auri in porticum sacri Palatii scriptor hujus instrumentis complevi*. Non prætermittam ad hanc clausulam illustrandam aliqua prænotare. *Statio* est locus, in quo quis consistit officii sui obeundi caussa. Apud Gruterum pag. CCCCLI. 3. L. *Petronius Sabinus* dicitur *Procurator Aug.* STATIONIS *Hereditatum*. Item *Statio*, in qua consistebant Officiales susceptores tributorum, expressa est in l. 19 tit. 6 de susceptoribus Cod. Theodosiani. Plurima vero mentio *Stationis* Tabellionum, quod rei nostræ est, facta invenitur a Justiniano in Novellis Collat. IV. tit. VII. de Tabellionibus, ubi inter cetera præcipit Imperator, ut Tabellio ipse intersit *Completioni* Instrumenti, & nulli omnino alteri in *Statione* existenti licentia sit subscribendi, nisi Tabellioni qui auctoritatem habet. Ex hac Novella explicatur etiam illa formula, *complevi*, quæ in fine nostræ sub-

scri

scriptionis legitur. Itaque Johannes Fort *Stationem* sui tabellionatus habebat *ad Monetam auri*, nempe Monetam, scilicet prope locum, in quo monetæ aureæ cudebantur, vulgo *la Zecca*. Nam *Moneta* hoc modo prolata Officinam ipsam, seu fabricam monetariam significat. Imp. Constantinus l. 2. tit. XXIV. de falsa moneta, in Codice Justinianeo, prohibet, ne quis nummos falsa effusione efformet, subdens, *in MONETIS etenim tantum nostris cudendæ pecuniæ studium frequentari volumus*, hoc est, in nostris tantum officinis monetariis. Eadem notione usurpat Ammianus Marcellinus lib. 22. cap. II. de Dracontio *Monetæ Præposito* loquens, qui *aram in MONETA, quam regebat, recens locatam evertit*. Vide quæ ibi notat Lindenbrogius pag. 354. editionis Lugduni Batav. an. 1693. Hinc cum in notitia Imperii Occidentalis enumerantur Procuratores Monetæ, uti *Procurator MONETÆ Siscianæ*, *Procurator MONETÆ Aquilejensis* cum aliis quatuor, intelligendum puto de ipsis officinis, seu fabricis monetariis, quod silentio transmisit Pancirolus in Commentariis ad eandem Notitiam cap. 37. Sæpe in saxis antiquis memorantur *Officinatores Monetæ*, quod non velim accipi de pecunia, uti videtur passim accipere Gutherius de Offic. domus Aug. lib. 3. cap. 19., sed de ipsa Officina, seu fabrica monetaria. Apud Gruterum pag. LXXIV. l. appellantur *Officinatores* MONETÆ *Aurariæ & Argentariæ Cæsaris*, pag. MLXX. l. *Malleatores* MONETÆ *Cæsaris*, pag. DCXXXVIII. 2. *Pollio primo Of. MONET. ARGENTAR.*, num. 3. *Ulpio secun-*

T

cumdo Nummulario esse MONETÆ, num. 4. *Ulpius Flatuarius Auri* & *Argenti* MONETARUM. Ineptus esset sensus, si diceremus, Pollionem fuisse primum Officinatorem *pecuniæ Argentariæ*, dicendum enim esset *pecuniæ argenteæ*: vel Ulpium fuisse Flatuarium *auri & argenti pecuniarum*. Ergo hic conflabat, seu fundebat aurum & argentum in *monetis*, seu officinis monetariis, alter operabatur in *moneta*, sive officina argentaria: sic de aliis. Viri præstantissimi, qui novam ac splendidam editionem Thesauri Gruteriani Amstelædami an. 1708. procurarunt, ad calcem postremæ Inscriptionis referunt, in MS Ligorii scriptum esse MONETALIS: quæ vox neque in casu recto cum *Flatuarius*, neque in obliquo cum *auri* & *argenti* recte conjungi potest. Est ergo *Flatuarius* qui aurum & argentum conflat, seu liquefacit, & fundit in *Monetis*, nimirum in fabricis monetariis. Perperam hos *Flatuarios* Guthertus loco citato interpretatur eos esse, qui ad ignem excitandum folles commovent, quibus ventus attrahitur atque emittitur. In leg. 5. Codicis Theod. tit. de falsa moneta, *Comperimus*, ait Imperator, *nonnullos* FLATUARIOS *majorem pecuniam non minus criminose, quam crebre separato argento ab ære purgare*. In nummis Consularibus potissimum sub Augusto, ac in lapidibus posterioris ævi, sæpius inscriptæ sunt literæ singulariæ III VIR. A. A. A. F. F., nempe, *Triumvir Auro, Argento, Ære, Flando, Feriundo*. Ridiculum esset Triumviros præfuisse commovendis follibus. *Flare* igitur est metalla fundere, & ad ignem liquare, quod opus perficiebant

Fla-

Flatura, & *Ferire* est nummos cudere & percutere malleis, unde *Malleatores*, quorum meminit paullo ante laudata Inscriptio. *Flata pecunia* est apud Agellium Noctium Attic lib. 2 cap 10 ex Varrone in Epistola ad Servium Sulpitium, & Vitruvius lib. 2. cap 7. *Fabri aerarii*, inquit, *in aeris flatura formas habent comparatas*, & *ex his ad aes fundendum maximas utilitates*: ex quibus verbis constat, esse idem *flare* ac *fundere*.

Ceterum, ut Ravennam repetamus, Fabricam monetariam in ea urbe fuisse, docent Nummi cum inscriptione FELIX RAVENNA, & RA, vel cum notis RVPS. *Ravennae pecunia signata*, de quibus meminit Cangius in Dissertat. de inferioris aevi Numismat post Glossarium med. & infimae Latinit num. 52. & 74. & quorum aliquot delineatos exhibet de Familiis Byzantinis in Mauritio, Heraclio, & Constantino, nosque unum aeri incisum dedimus in monum. vet. Antii ad cap. 19. ubi etiam non pauca de hac nobilissima urbe commentati sumus. Suspicatur vir idem doctissimus, Officinam monetariam Ravennae institutam fuisse ab Exarchis. At cum Fabrica auri anno 572, quo nostrum Instrumentum scriptum est, jam Ravennae adesset, non est vero simile, primum Exarchum Longinum statim ab sui adventu, qui contigit anno 567, de Officina monetaria cogitasse. Quare eam pridem positam vel sub regibus Gothis, vel sub Imperatoribus, qui hanc urbem frequentarunt, libentius existimaverim. Non unam vero Officinam monetariam Raven-

T 2 nae

næ extitisse, hæc ipsa arguit, quæ *auri* appellatur, ad alterius, & forsasse aliarum differentiam, in quibus monetæ argenteæ, & æreæ conflabantur. Quod hoc quoque argumento manifestum fit. Agnellus de vitis Pontificum Ravennatum, quem nuper edidit, & doctissimis observationibus illustravit D. Benedictus Bacchinus Abbas Cassinensis, parte altera pag. 450. in vita Gratiosi, qui sedit sub Carolo magno, meminit Monasterii B. Apollinaris, *quod est fundatum non longe ab Ecclesia S. Redemptricis Crucis ad* MONETAM VETEREM. Altera hæc est a nostra Officina ex regione, in qua posita erat, ut statim patebit.

Civibus Ravennatibus rem gratam facturus, locum Palatii Imperialis, de quo ipsi, ut ad me relatum est, nihil habent certi, detegam. Hieronymus Faber in libro Italico inscripto, *Memorie Sacre di Ravenna* parte 1. pag. 354. ex Rubeo in Historia Raven. lib. 6. ad annum 1185. refert, urbem divisam fuisse in regiones quatuordecim a totidem Ecclesiis denominatas, quarum una S. Vincentii *de Moneta aurea* appellabatur. Ipsissima hæc est *Moneta*, seu Officina, quam memorat noster Notarius. quæ cum prope *sacrum Palatium* condita esset, hoc sane non longe ab Ecclesia S. Vincentii, quam adhuc extare audio, situm erat.

Verùm ad Justinum redeamus. Duos igitur Consulatus hunc Augustum gessisse iis ipsis annis, de quibus hactenus disputavimus, alio etiam, & quidem gravissimo testimonio, evincetur. Henricus Dodwellus in appendice ad Dis-

fer

sertationes Cyprianicas, non semel supra memorata, edidit Fastos Consulares Græcos, quos *Heraclianos* appellavit, utpote ab ipso Imperatore Heraclio, vel ab Auctore Synchrono concinnatos. Ex pag. 33 hoc laterculum transcribo, absque accentibus, quibus Fasti carent, addita versione Latina.

Ιυϛιν Αυγ. μονυ	σπ	ωπζ	ιδ
Ανυπατυ	σπα	ωπη	ιε
Ιυϛιν Αυγ Τυ Β μονυ	σπβ	ωπθ	α
Ανυπατυ	σπγ	ωϙ	β

566 *Justini Augusti solius*	280	887	14
567 *Sine Consule*	281	888	15
568 *Justini Augusti secundo solius*	282	889	1
569 *Sine Consule*	283	890	2

Tres in hisce Fastis exarantur chronologici characteres. Primus est annorum a Diocletiano: secundus ab initio Philippi Aridæi: tertius Indictionis decurrentis, quibus cum Dodwello apposuimus annos Æræ vulgaris correspondentes. Itaque sub Indictione XIV, quæ anno 566. labebatur, primus *Justini Augusti solius* Consulatus scribitur. Annus insequens est *sine Consule*. Deinde annus 568. cum Indictione I. Consulatum ejusdem *Justini Augusti* SECUNDO *solius* repræsentat. Ceteri Justini anni *sine Consule* decurrunt.

Viderat Pagius hos Fastos Heraclianos, qui Baronio ignoti fuerunt, & viderat Justini *secundum* Consulatum anno eidem 568. perspicue affixum,

xum, sed errasse eorum Auctorem ait, quia cum Justinus Consulatum perpetuum instituerit, secundum Consulatum inire non poterat atque ideo errasse subdit, quod Justinum Juniorem Imp. cum Justino ejus consanguineo, anno 540. Consule Ordinario, confuderit, tanquam videlicet similitudo nominis ei fucum fecerit. At insignis Chronologus admodum errasse, sit verbo venia, deceptus est. Si enim Auctor Fastorum tam *primum*, quam *secundum* Consulatum Justini Imperatoris, ut ipse quoque fatetur ad an. 567. num. 1. recensuit, dici omnino nequit, *secundum* retulisse ad illum, qui a Justino ejus Consanguineo fuerat actus. Præterea idem Auctor, quem suspicatur Dodwellus Heraclium ipsum Augustum esse, vel alium utique ei æqualem, poterat vel ætate, vel memoria proxima pertingere tempora Justini Imperatoris, & certo scire ordinem & numerum Consulatuum ab eo gestorum additque idem editor, hos Fastos *pro proximis Heraclio temporibus omni fide videri dignissimos.* Quorum nunc auctoritatem indubiam facit apocha Ravennas, in qua pari modo signatus reperitur *secundus* Justini Consulatus, affixus eidem anno 568. Consensum hunc si vidisset Pagius, fidem Heraclianis Fastis non ita facile detraxisset. Frustra vero opponit, non potuisse Justinum Consulatum *secundum* inire, cum *perpetuum* Consulatum instituerit: nam apud veteres ne vestigium quidem hujuscemodi *perpetuitatis* apparet, repugnatque formula tunc usitata, *post Consulatum*, & Fasti Heracliani, qui annos Justini aliorumque post ipsum Augustorum perspicue *sine Consu-*

fu

Julo notant. Sane Vitellium se *Consulem perpetuum* dixisse, memorat Svetonius cap. 2. de ejus vita & lapis antiquus apud Gruterum pag. CCXXXIX. I. nummusque apud Goltzium relatus a Spanhemio de præstantia Numism. pag. 724. proferunt hanc inscriptionem A VITELLIUS L. F. IMPERATOR COS. PERP. Tale quid de Justino, aliusque nusquam comperimus. Si de dignitate & potestate Consulari *perpetuo* veluti infixa majestati Imperatoriæ forte intelligit Pagius; id quidem non fuit institutum Justini, sed pridem apud Romanos Principes residebat, ut testatur Justinianus in Novella Constitutione 105. his verbis *Eo quod Imperatori quidam* JUGIS & INDESINENS *Consulatus omnibus Civitatibus & populis, & gentibus in singulis quæ placent, distribuendo advenit, aut cum ipse annuerit trabea, utroque & Imperii Consulatus per omnia sit* FREQUENS *& sceptra*. Denique, invertendo argumentationem Pagii, fas erit dicere: si constat Justinum gessisse duos Consulatus, non potuit instituere Consulatum *perpetuum*.

Idem Pagius in Dissert. hypat. & in Critica reprehendit Baronium, qui scripserat ad annum 568 num. 1 hunc annum alicubi notatum reperiri Consulatu Justini Imperatoris *secundo*, subditque, modum loquendi Victorianum ab eo non intellectum hanc ei aberrationem creasse. Novella siquidem ejusdem Justini ad Spem in Deum Provinciæ Byzacenæ Archiepiscopum, quæ a Spondano in Epitome Baronii in hunc sensum laudatur, hoc nullo modo significat. Hæc ejus subscriptio: *Dat. Kal. Maj. Constantinop. Imperii*

Do-

Domini Justini P. P. Aug. anno III. *Cons. ejusdem* II. Est igitur, prosequitur Auctor, hic annus Consulatus ejus *secundus*, non vero *secundus* ejus Consulatus. Justinus enim loquendi modum Victoris Tununensis usurpat.

Hujus argumentationis Cardo in eo vertitur, ut eximius Chronologus pro certo sumat, (quod non solum hoc loco Dissertationis hypaticæ, nempe pag. 332., habet, sed etiam pag. 328 in fine, & in Critica ad hunc annum 568. & alibi) Justinum in hac Novella, ac in aliis, quas suis annis subinde recitat, usurpare modum loquendi Victorianum. Ita enim cum statuisset, eundem Imperatorem iniisse Consulatum anno 567., optime pro re sua accommodat annum *secundum* Consulatus in Novella præscriptum cum anno tertio imperii decurrente anno 568. numerando scilicet modo eodem Victoriano eundem annum secundum ab ipso anno 567. Consulatus suscepti.

At persuasum mihi esse nequit, nec aliis, uti arbitror, persuadebit Pagius, Justinum in suis Novellis modum Victorianum tenuisse. Nam si Justinianus, qui Justinum antecessit, & Tiberius Constantinus, qui eum subsequutus est, modum Marcellinianum imitati sunt, nemo unquam in animum sibi induxerit, Justinum qui inter eos medius imperavit, alium & diversum omnino morem persequutum fuisse. Quod spectat ad Justinianum, non alium voco testem quam ipsummet Pagium, qui de eisdem modis loquendi Continuatoris Marcellini, & Victoris Tununensis admitium anni 542. in Critica differens,

tens, *prior*, inquit, *longe usitatior quam secundus*, *illumque adhibent* JUSTINIANUS *in suis Novellis*, *& Pontifices Romani in suis Epistolis*. Hoc verum esse, vel sola Novella capite superiori laudata satis probat: in qua Justinianus præscribens formulam in Actis publicis observandam, morem Marcellini usurpavit. ita enim concepta est *Imperii Justiniani anno XI. & post Cons. Belisarii an. II.* Annus hic est Christi 537. Belisarius autem Consulatum egerat anno 535. ergo annus *secundus* post ejus Consulatum cœptus est numerari ab anno insequente 536. In ejus rei confirmationem addam unam & alteram Novellam ejusdem Imperatoris. Novella CXI. data est VI. *Idus Majas Constant. imp.* D. N. *Justiniano P. P. Aug. ann.* XVIII *Post Conf. Basilii anno* III. Annus XVIII. Justiniani cœperat Kal. Aprilibus anni 544. a quibus ipse auspicatus fuit imperium anno 527. Cum ergo Basilius inierit Consulatum anno 541, annus *tertius* post ejus Consulatum decurrens mense Majo an. 544. cœptus est numerari ab anno 542. subsequente annum Consulatus gesti, modo Marcellinaeo. Rursus Novella CXV hac Clausula notatur: *Dat. Kal. Maii Const. Imp.* D. N. *Justiniani P. P. Aug. anno* XX. *post Consulatum Basilii anno* V *Ind.* IX. Duo hi Imperii, & Indictionis characteres confluunt in annum 546. quo anno mense Majo labebatur annus V. post Consulatum Basilii, jam habes, numerum fuisse putatum ab anno eodem 542. Epistolam scripsit Justinianus ad Cosmum Episcopum Mopsuestiæ *die* XIII *Maii anno Imperii ejusdem* XXIV. *P. C. Basilii* IX. Annus est 550. a quo retrocedendo,

V an-

anni novem incurrunt in annum 542. Quare Justinianus tam in suis Novellis, quam in Epistolis usus est modo loquendi Marcelliniano. Quem in aliis quoque Actis fuisse usurpatum, docet Concilium Mopsuestiæ habitum, quod recitatur in Synodo V. Act. V. cujus hoc est initium. *Imperii Domni, & Piissimi D. N. Fl. Justiniani Perp. Aug. Imperatoris Anno XXIII. post Consul. Basilii* V. C *anno* IX. *mensis Junii* XVII. *instantis* XII. *Indict.* Legendum anno XXIV. ut scriptum haberi in veteribus libris testatur Baluzius in nova Collectione Concil. pag. 1521 apud Pagium ad annum 546. num. 3., & patet ex allatis literis ad Cosmum, iisdem plane notis obsignatis quæ proinde eundem morem Marcellinianum produnt.

Tiberii Constantini, qui post Justinum imperavit, extat Sacrum Pragmaticum de confirmatione Constitutionum Justini Imp. de filiis Colonarum, & Liberarum ad Theodorum, quod datum est III. *Id. Augusti* C. P. L. *Imp.* D. N. *Tiberii Constantini* P. P. *Aug.* ANNO OCTAVO & *post Conf. jus* ANNO TERTIO, *& Nob. Fl. Tiberii Mauricii felicis. Cæsaris* ANNO PRIMO. Pagius hanc Tiberii subscriptionem referens in Dissert. hypat. pag. 336 & in Critica ad an. 582., *conveniunt*, inquit, *hi charecteres in hunc annum* 582, *ideoque Tiberii Consulatus recte a nobis consignatus anno* 579. Quo anno si Consulatum iniit Tiberius, *annus tertius* post Consulatum ejusdem appositus anno 582. cœptus est numerari non ab ipso anno Consulatus, modo Victoriano, sed a sequente 580, modo Marcelliniano.

Quis igitur sibi persuaserit, Justinum in suis No-

Novellis computasse annos Postconsulatuum modo Victoriano, ut passim Pagius autumat, si tam Justinianus, quam Tiberius, inter quos medius ipse regnavit, morem Marcellinianum observarunt? Imo Justinus cum sequutus fuerit, vel renovaverit sanctionem Justiniani de conjungendis annis imperii cum annis Consulatus, qua de rediti capite superiori, debuit etiam eam imitari in modo computandi annos Postconsulatuum, At paullo ante ostendi, in ea Sanctione adhibitum fuisse morem Marcellini. Hæc ita cum sint, non debuit Pagius accommodare *annum secundum* Consulatus, in Novella ad Spem in Deum signatum, cum *anno tertio* Imperii decurrente anno 568. numerando scilicet modo Victoriano eundem annum *secundum* ab anno 567, quo, ut ipse putavit, Justinus dignitatem Consulatem accepit. Minusque debuit Baronium erroris arguere, quasi eundem modum Victorianum non intellexisset, & subinde decernere, non esse hunc Consulatum *secundum* Justini, sed annum *secundum* post ejus Consulatum susceptum anno antecedente 567.

Quia vero in hac Novella diserte *Consulatus* scribitur, non *Postconsulatus*, quod turbare Pagii explicationem poterat, is mire se expedit, affirmando arbitratu suo, Justinum non distinxisse *Postconsulatum a Consulatu*. Quod sane gratis est dictum, repugnatque consuetudini aliarum Justini Novellarum, quas ipsemet in annis subsequentibus profert, & nos infra reperemus in quibus semper *Postconsulatus* explicate exaratur. Imo annus etiam additur hoc modo: *Post Conf.*

Justini ANNO *secundo*, *tertio*. Quod in aliis quoque Postconsulatibus tam privatorum, quam Cæsarum usurpatum reperimus P.C. *Basilii* ANNO II III. P. C. *Tiberii* ANNO *secundo*, *tertio*, & sic de aliis. At in hac Novella ad Spem in Deum nec Postconsulatus, nec anni nota reperitur, concepta enim est sub hac formula *Cons. ejusdem* II. Vellem, Pagius & Valtechius caussam assignassent, cur tandem Justinus in hac sola Novella ab aliarum more recesserit, si vera esse possit hæc hujusmodi notarum ab iis excogitata diversitas. At si caussam illi nunquam expromserint, nos eam simplicissime, & nulla vi verbis facta proferimus.

Hæc erat supra recitata ex Juliano Antecessore Novellæ ad Spem in Deum clausula *Dat. Kal. Majas Const. Imperii* D N. *Justini* P.P. Aug. ANNO III. CONS. *ejusdem* II seu verbis explicitis, ut eam refert Baronius ad calcem anni 568. ANNO III. CONSULATU *ejusdem* SECUNDO. Annus *tertius* Imperii Majo mense decurrente prodit annum Chr. eundem 568. Jam vidimus luculentis testibus probatum, hoc anno Justinum iterum Consulem processisse. Ergo hæc quoque Novella data est *in Consulatu secundo*, seu anno, quo Justinus Consulatum *secundum*, & annum Imperii *tertium* agebat, nimirum an. 568. Clara subscriptionis verba sunt & perspicua nec opus est ea invertere, & a recta & naturali significatione detorquere. Non igitur hic annus est *secundus* post Consulatum Justini gestum anno 567. ut persuasum fuit Pagio, sed ipse ejus *Consulatus secundus* susceptus anno 568. Propterea neque

que inscripta fuit nota *Postconsulatus*, nec *annus* illi adjectus, ut in aliis Novellis factitatum dimus.

Ut vero Consulatui suo anni 567. suppetias ferret Pagius, necesse habuit aliam quoque Justini Novellam perturbare quæ sane sibi relicta, ut par est, nostræ sententiæ quam maxime favet. Ea est apud Julianum Antecessorem sub titulo, *de filiis Liberorum*, cujus subscriptionem ita Pagius enunciat: *Dat. Kal. Mart. Constantinop. Imp. D. N. P. P. Aug. Justini anno V. Ind. III.* *Quæstor* [illegible], qui ut monserat, subscripsit: *Dat. Kal. Mart. Constantinop. Imp.* D. N. *Justino* P. P. *Aug. anno* V. *post Cons. ejusdem* D. N. *an.* II. Itaque Pagius, adstipulante Valsechio pag. 65., post Baluzium in notis ad Capitularia Regum Francorum pag. 1155. Tom. II. corruptam postremam hanc numeralem notam putat, legendumque docet, *post Cons. anno IV.* Data est Novella A. C. 570., ubi Indictio *tertia*, & annus Imperii *quartus* demonstrant *Annus quartus* post Consulatum Justini, computatus modo Victoriano, ait Pagius, deducit ad Consulatum anni 567. At male morem Victorianum Justino imponit illustris Chronologus, uti ostensum est, & proinde perperam quoque emendat numerum Postconsulatus in editione accuratissima Codicis Justinianei cum observationibus Pithæorum Parisiis typis regiis anno 1689. publicata, Novella hæc paginæ 685. inserta est, in qua anni Postconsulatus non numeralibus notis, ut est apud Pagium, sed literis expressis, in quas non ita facile mendum potest irrepere, hoc modo exarantur. *Imp.* D. N.

Ju-

Justino Anno V. POST CONSULATUM *ejusdem Domini Nostri* ANNO SECUNDO. Itaque annus *secundus* post Consulatum Justini sociatus cum anno Ch. 570. manifeste deductus est a Consulatu ab eo inito an. 568. facta numeratione modo Marcellimano, quo usum fuisse Justinum probavimus. Ex his duabus Novellis, & ex Instrumento Ravennate Fontaniniano constat, in Divalibus Constitutionibus, & in Actis publicis, prætermisso Consulatu primo, fuisse annos numeratos ab hoc *secundo* Consulatu anni 568., quamvis aliter consueverint Chronicorum Scriptores, præter Heraclianum, qui a primo Consulatu annos Postconsulatuum computarunt: fortasse ut annos eosdem continua serie, & a secundo Consulatu non interrupta deducerent; vel quia primus Consulatus celebrior & auspicatior habitus fuerit. Quæ etiam caussa esse potuit, cur hujus secundi Consulatus non meminerint.

Binas alias Justini Novellas Constitutiones ex Scringero profert Pagius, atque ex eo Valsechius: quæ cum prorsus mendosæ sint, ac neutri opinioni accommodari possint, tanquam inutiles essent abjiciendæ. Attamen quia Pagius eas, more suo Consulatui anni 567 aptaturus, emendare tentavit, nos quoque, & quidem probabilius pro ratione nostræ sententiæ, in iis corrigendis operam sumemus. Prima data legitur XV. *Kal. Jun. Consf. Imp.* D. N. *Justini anno* VII. *post Conf ejusdem ann.* III. Scribendum, ait Pagius, *post Conf. ann.* VI. Sed leviori numerorum mutatione, si abradas unitatem ab annis Imperii, intacta Postconsulatus nota, emerget annus VI. qui cum

cum designet annum Chr. 571., recte Postconsulatum *tertium* in ipsa descriptum in *secundum* Consulatum 568. convenire dignosces. Altera hanc clausulam exhibet: *Data XV. Kal. Febr. Const. Imp. Just. ann.* VII. *post ejusdem Conf. ann.* III. Pagius & Valsechius emendant, *post Conf.* VII, nimia quatuor numerorum accessione. Nobis placet, mulctatis dumtaxat duabus unitatibus, annos Imperii VI. legere ut hæc quoque Novella annum eundem 571. repræsentet, & a Consulatu *secundo* deducta intelligatur.

Restat nobilissimum monumentum, quod licet sententiæ Pagianæ de Consulatu Justini an. 567. favere videatur, cum ad hunc annum collineet, si modo loquendi Marcelliniano explicetur, attamen ad methodum Victorianam expensum, quod quidem fieri debere ostendam, optime ad firmandam nostram opinionem de Consulatu secundo anni 568. conducit. Michael Monachus in postrema pagina Sanctuarii Capuani profert Epitaphium Probini ejusdem urbis Episcopi, quod erutum fuit anno 1630. in Ecclesia S. Nazarii, nunc S. Hieronymi, eo ipso tempore, quo illud opus typis Neapolitanis excudebatur. Cum autem apographum Monachi alicubi peccare suspicio esset, Cl. Fontaninus semel atque iterum ex autographo diligentissime describendum curavit, ac mecum postea communicavit. Illud ergo Epitaphium hujusmodi est.

VIR

VIR BEATISSI
MVS PROBINVS EPISC
SEDIT ANN I MENS VIIII
DIES IIII DEPOSITVS SVB DIE
XIII KAL SEPTEMBRES IMP D N
IVSTINO ANNO VII P C EIVS
DEM ANNO V INDICTI
ONE QVINTA ❦

Antequam explicationem, quæ nostri argumenti est, aggredior, nonnulla adnotabo tanquam egregia lapidis ornamenta. Primum spectat antiquissimum ritum consecrationis Episcoporum, quam die Dominico celebratam vel ex hoc uno testimonio evinci potest. Probinus depositus fuit die vicesima mensis Augusti A. C. 572, in quem annum conveniunt Indictio *quinta*, & annus *septimus* Justini. Ab hac die vicesima si retro putentur dies quatuor supra menses novem, & annum unum, quibus sedit Probinus, calculus desinet in diem decimam sextam Novembris A. C. 570. quæ dies hoc anno erat Dominica, Cyclo solis 19. Lit. Dom. E, qua ipse Probinus inauguratus est Episcopus.

Secundum est, ex hoc ipso lapide, præter tot argumenta jam ab Eruditis prolata, evidentissime probari, Indictiones sumsisse initium a Kalendis Septembribus, si cum eo componas Epitaphium Callinici capite antecedente descriptum.

prium. In utroque eadem Indictio *quinta* prodit. At anni Justini discrepant: nam in primo nota tur annus *sextus*, in hoc Capuano *septimus*. Scilicet Caltenicus depositus fuit die tertia mensis Septembris A. C. 571. cum jam esset in cursu Indictio *quinta*, fueretque annus *sextus* Justini. Cum vero medio mense Novembri ejusdem anni, vel ex nostra sententia Kalendis Januariis anni 572. expleto anno *sexto*, septimus annus inchoatus esset; sub die vicesima mensis Augusti subsequentis, cum Probini depositio accidit, vigebat adhuc eadem Indictio *quinta*. Eam ergo fuisse cœptam necesse est ante diem tertiam Septembris anni superioris 571., nimirum ipsis Kalendis, & desiisse post diem 20. Augusti, nempe proximis Kalendis Septembr. anni 572.

Demum Indictio *quinta* cum mense Septembri, ac imperii anno *sexto* conjuncta in Epigrammate Caltenici; & rursus eadem *quinta* Indictio sociata cum mense Augusto, & anno *septimo* Imperii in Epitaphio Probini certissime evincit, Justinum regnare cœpisse A. C. 565., non vero sequente, uti sæpius a nobis fuit demonstratum.

Sed ad Postconsulatum in nostro lapide expressum accedamus. Die XX. Augusti vertente anno *septimo* Imperii, & Indictione *quinta*, qui characteres, ut dixi, indicant Annum Chr. 572., numerabatur annus *post Consulatum* Justini *quintus*. Deductus est annus hic *quintus* a Consulatu *secundo* ejusdem Imperatoris suscepto anno 568., quia Auctor Epitaphii usus est modo loquendi Victoriano, computando annum ipsum Consulatu sgesti. In hanc sententiam ea ratione de-

X scen-

scendo, quia tunc temporis in iis regionibus eadem formula Victoriana usu recepta erat. quam quam variasse aliquando hunc morem in uno eodemque loco, ut supra etiam monui, compertum sit. Labbeus in appendice ad dissertationem de Scriptoribus Ecclesiasticis tom. 1. & Mabillonius tomo secundo Analectorum pag. 17 referunt clausulam subjectam Collectaneo ex libris S. Augustini ab Eugipio composito, & jussu Reducis Episcopi Neapolitani additam, quæ talis est: *Sub die Iduum Decembris Imperatore D. N. Tiberio Constantinopolis Augusto anno* VII. *post Cons. ejusdem Augusti ann.* III. *Indictione quintadecima, obsidentibus Longobardis Neapolitanam Civitatem*. Pagius, a quo hæc desumsi, in Dissertat. hypatica pag. 335 & in Critica ad an. 582. num. XVI. pluribus probat, clausulam hanc indicare eundem annum 581., & Post-consulatum Tiberii esse scriptum modo Victoriano: eaque de caussa procul dubio deceptum ait eundem V. C. Mabillonium, qui subscriptionem hanc refert ad annum 582., quia nempe modum loquendi Victorianum non observavit. Eodem ferme tempore, atque in eadem urbe Neapolitana conditum est elogium emortuale cujusdam Candidæ sub hisce temporum signis DIE IV. ID. SEPT. IMP. D. N. MAVRITIO P. P. AVG. ANN. IV. P. C. EIVSDEM ANN. II. IND. QVARTA. Cum Mauritius Consulatum inierit A. C. 584. & notæ numerales Imperii, ac Indictionis referant an. 585. certum est, uti observat Pagius ad hunc annum, P. Consulatum *secundum* esse positum ex more Victo-

doriano. Si ergo modus hic Victorianus Neapoli usurpabatur anno 581. & 585, nemo facile inficiabitur, eundem quoque morem in proxima urbe Capuana paullo ante viguisse, atque Epitaphium Probini pari ratione esse explicandum. Quo fit, ut annus *quintus* post Consulatum Justini, in eodem Probini epigrammate expressus, recte dici queat deductus ab anno 568 & exinde firmior anctoritas sit quæsita nostræ sententiæ de *secundo* ejusdem Imperatoris Consulatu.

Ex his, quæ longius disputata sunt ad duos Justini Junioris Consulatus constabiliendos, manifeste colligitur, abrogandum esse ejusdem Augusti Consulatum a Pagio, & Valsechio in annum 567 collatum. Nam si Justinus procul dubio Consul processit anno 566 primo Imperii sui anno, atque Consulatum iniit anno 568, quem apud locupletissimos testes *secundum* denominari cognovimus, verum esse nequit, anno intermedio quempiam alium Consulatum gessisse: nam *secundus* anni 568 dumtaxat ad *primum* anni 566. referri potest. Hinc frustra contriverim operam, si manus ad evertenda argumenta Pagii, quæ pro sua opinione extruxit, conferre vellem: ea enim jam confecta esse, unusquisque ex re ipsa facile animadvertet. Dicam nihilominus, ne quid prætermittam, in ignem hunc Chronologum pro Consulatu anni 567 appellare Fastos Maffejorum ab Onuphrio lib. 3. Fastorum citatos, Chronicon Alexandrinum, Marium Aventicensem, & Theophanem. Singulorum testimonia expendam.

In fastis Maffejorum hæc haberi scribit Onuphrius

phrius: *Anno secundo Justino Juniore Augusto primum Consule*. Cum Pagius pag. 339. Differt hypat. vidisset in iisdem Fastis recenseri Consulatum secundum Mauricii Imperatoris, neque id sententiæ suæ, de qua ibi agit, favere animadvertisset, eos in suspicionem erroris vocat, atque si ederentur, sibi haud contrarios futuros profitetur. Quod Pagius sibi putavit licere pro sua tuenda opinione, id mihi haud ipse negaret meam defendenti. Dicam ergo: Si Fasti Massejorum ederentur, mihi non essent contrarii. Et fortasse potiori ratione id dixero, quam Pagius, quia in recitatis verbis subolere aliquid mihi videtur, quod caussæ meæ favere quammaxime posset, si Fastos ipsos explorare fas esset. Siquidem aperte legitur *Justino Augusto* PRIMUM *Consule*. Si Auctor Fastorum scripsit, Justinum suscepisse *primum* Consulatum, certe *secundum* quoque recensuit. Qui *secundus* non alius est, quam gestus anno 568. & proinde *primus* non ad *secundum* Imperii annum, sed utique ad *primum* spectare dicendus erit. Sed mittamus hæc, quæ cum incerto auctore, nobisque prorsus ignoto ferantur, nullo in numero habenda sunt.

Pagius secundo loco in sui tutelam vocaverat Marium Aventicensem, qui Consulatum Justini conjunxit cum Indictione XV. respondente anno 567. Quod equidem satis mirari nequeo: ex iis enim, quæ ipsemet scribit de Mario, semetipsum manifeste jugulat. Sæpius Chronologum hunc reprehendit, quod uno anno tempora Justini retardaverit. Ita cum Narsetis revocationem ab Italia sub Indictione prima reponat, nimirum

an

anno 568, Pagius eam pertinere ad Indictionem XV & annum antecedentem 567 probat num. IV., verbis his additis *Verum Marius, qui Justini initium in annum Christi* DLXVI. *male distulit, res quas postea narrat, uno anno tardius subinde collocat*. Quod notat etiam non uno loco ad annos sequentes. Marius de Consulatu Justini ita scribit *Anno primo Consulatus Justini Junioris Ind.* XV. Si uno anno tardius res, quas narrat Aventicensis, collocantur, ergo Consulatus Justini ab eo positus sub Indictione XV & anno 567., retrahendus est ad Indictionem antecedentem XIV. & ad annum 566 Collocaverat idem Aventicensis Consulatum Tiberii Constantini an. 580. Errasse illum ait Pagius, in Differt. hypat. pag. 334., idemque repetit in Critica ad an. 579. num. 1., quia Tiberius Consulatum gessit anno antecedente 579 ac propterea errasse subdit, quod cum initium Justini uno anno tardius consignaverit, coactus fuit etiam exordium Tiberii successoris, ejusque Consulatum uno anno retardare. Si vidit Pagius errasse Marium in collocando Consulatu Tiberii ob dilatum Justini Imperium, cur tandem non vidit, vel videre noluit, ob eandem caussam errasse quoque in ipsius Justini Consulatu reponendo? Et si errorem Marii correxit, in suam sedem restituendo Consulatum Tiberii, ab anno nempe 580 ad ann. 579, cur non etiam castigavit Consulatum Justini, illumque ab anno 567, in quo enim posuerat Marius, non transtulit in annum 566.? Ita praeconcepta opinio etiam doctis viris aliquando tenebras offundit.

Præ

Præterea fatetur Pagius, Marium copulasse Justini Consulatum cum primo Imperii ejus anno, in Dissert. hypat. pag. 331, & in Critica ad an. 567. Certum est, uti sæpius, ipso etiam adstipulante, diximus, primum Imperii annum Justini processisse cum anno Christi 566. Ergo in hunc quoque annum ejus Consulatus est conferendus. At integrum Aventicensis locum ad rem hanc pertinentem exhibeo: P. C. *Basilii XXV. Indict. XIV. eo anno mortuus est Justinianus Augustus, & suscepit Justinus nepos ipsius Imperium.* Post pauca annum insequentem ita consignat: *Anno primo Consulatus Justini Ind. XV.* Vides, statim a suscepto Imperio Consulatum iniisse Justinum, nullum enim annum medium interserit Chronographus. Itaque si regnare cœpit Justinus medio Novembri ann. 565., Consulatum certe capessivit proximis Kalendis Januarius an. 566. Erraverit ergo Marius in anno Imperii suscepti, non erravit tamen in Consulatu, quem adscripsit anno inaugurationem Justini subsecuto. Quare cum Pagius in viam eum reduxerit, retrahendo initium Imperii ab anno 566. ad annum 565., nescio, cur Consulatum quoque pari ratione ab anno 567. ad annum 566. non revocaverit.

Prosequitur Pagius testes alienos, & caussæ suæ minime faventes edere. In Dissert. hypatica inter eos, qui Consulatum Justini cum Indictione XV. & anno 567. copulant, Auctorem Chronici Alexandrini recenset: at in Critica sibi contrarius scribit, eundem Auctorem anno superiore Consulem pronunciasse Justinum. Quod quidem verum est: nam in eodem Chronico e-

di-

ditionis regiæ Parisiensis a Cangio adornatæ, hæc habentur · *Anno Justiniani* XXXIX. *Post Conf. Justini Junioris II. solius*. *Hoc anno* XIV. *die mensis Novembris Ind.* XV. *mortuus est Justinianus*, *& regnavit Justinus Junior*. & post pauca *Annus Justini I. Ind.* XV. *Post Conf. Justini Junioris Aug. solius*. Annus XXXIX. Justiniani cœperat Kalendis April. 565 quo eodem Imperii anno labente *mortuus est die* XIV. *Novembris*, *& regnavit Justinus*. Hoc eodem anno ponitur Consulatus Justini. Igitur anno 566 non vero an. 567. Nam licet idem Justinianus Kal. Januarii 566, cum Justinus Consul processit, in vivis non esset, tamen annus ejus nonus & tricesimus tunc nondum erat expletus. Hinc perperam Pagius inter eos, qui obitum Justiniani, & inaugurationem Justini recensuerunt sub Ind. XV. & anno 566. numeravit Auctorem Chronici, nam vere mendum est in numero, & legendum Ind. XIV. quæ decurrebat Novembri mense an. 565., quod patet ex eodem anno tricesimo nono Justiniani, qui nequaquam attigit Indictionem XV. Ad hæc si Auctor Chronici in verbis postremis Postconsulatum Justini conjunxit cum Indictione XV., dici nequit, ejus Natalem, & Consulatum, qui Postconsulatum solido anno præcedere debuit, sociasse cum eadem Indictione XV. In prioribus etiam verbis, *Post Conf. Justini Junioris* II *solius*, delenda est particula *Post*, quæ sæpius irrepsit in textum ejusdem Auctoris, ut non uno loco adnotavit Pagius, & præcipue pag. 337 Dissert. hypaticæ. Porro idem Pagius immerito damnat laudatum Auctorem, quod Justinum hoc anno

ite-

iterum Consulem fecerit, confundens Imperatorem cum ejus consanguineo, qui anno 540. Consul processit: quam dicam in alios quoque Chronologos impegit, ut vidimus. Nam in proxime recitatis verbis vel expungenda est nota II., vel referri debet ad Justinum, qui *secundus* hujus nominis Imperator fuit.

Theophanes anno Incarnationis DLVIII secundum Alexandrinos, a Kalendis Septembris anni Chri 565 inchoato, de Justino scribit: *Hoc anno mensis Novembris die decimo quarto, Indictione XIV. nepos Justiniani Justinus a Joanne Exscholastico Patriarcha coronatus suscepit Imperium. Anno secundo. Hoc anno Aetherius, & Abdius, seu Addeus.....gladio perierunt. Consulum vero more munus dedit Justinus, multasque pecunias, quibus etiam num plures ditati, sparsit in populum.* Pagius hæc postrema verba profert ad ostendendum, Justinum Kal Januarias anni 567. processisse Consulem. Sane munus Consulare ab hoc Imperatore datum negari nequit, quin a Theophane positum fuerit sub *anno secundo*, qui sive intelligendus sit de *anno secundo* Justini pro more hujus Scriptoris, qui annos Imperatorum orditur ab anno civili Alexandrinorum, nimirum a Kalendis Septembris, seu de anno *secundo* cœpto ab ejus inauguratione, utroque modo Consulatus incidit in annum 567. At quamvis nonnulla adduci possent fortasse non aliena, hoc satis erit in præsentia, non alium Processum Consularem hic recenseri a Theophane, quam quem describit Corippus: nam uterque Auctor memorat ingentem pecuniarum vim, & magnificum munus a Justino traditum in sui

Con-

Consulatus ingressu. Cum autem certissimum sit, ut supra demonstravimus, Processum a Corippo narratum ad alium annum pertinere non posse, quam ad primum Justini an. 566 decurrentem, in eundem etiam annum conferendus est Theophanis Processus. Secus duos Consulatus continentes cogeremur fateri, quod neque Pagius admitteret. Quare vel uno anno serius Consulatum Justini signavit Theophanes, vel ea verba, quod mihi magis arridet, loco non suo Librariorum oscitatione collocata sunt, & reponi debent in annum antecedentem hoc pacto: *Justinus a Joanne Patriarcha coronatus suscepit Imperium. Consulum vero more munus dedit Justinus, multasque pecunias* &c. Et sane, præter alios bene multos errores, etiam hujusmodi *rerum gestarum metatheses* in hunc Chronographum irrepsisse, jam adnotavit Jacobus Goar apud Caveum de Scriptoribus Eccles. ad an. 792. in Theophane. Quem præterea ita ut emendavimus, scripsisse, & res ipsa, quæ tot argumentis munitur, & orationis series satis demonstrant. Ordinem hunc præposterum fortasse ex corrupto Theophane hausit Auctor Fastorum Masseiorum, qui ad annum secundum, ut vidimus, retulit Justini Consulatum.

Demum Pagius ea ratione adductus est, ut Consulatum Justini in annum 567. conjiceret, quia Postconsulatus Basilii XXV. a Continuatore Marcellini, & Mario Aventicensi memoratus, anno tantum DLXVI usurpari potuit. At rursus miror, quod antea mirabar, Pagium videlicet in hoc negotio Marium appellare, qui cum

Y uno

uno anno tardius, ipsomet Pagio fatente, consignet primordia Justini, certe non poterat Consulatum ejus conferre in annum 566. Quare ne is annus vacuus relinqueretur, coactus fuit unum addere Postconsulatum Basilii, qui quintus & vicesimus ab eo denominatur. At si annus primus Imperii uno anno retrahatur, uti jam factum est, & Consulatus, quem copulasse Aventicensem cum primo Imperii anno, rursus fatetur idemmet Pagius, simul in eandem sedem anni 566. restituatur, jam annus ipse 566. Consulatu Justini auctus apparebit, ab eoque erit expungendus insititius Postconsulatus XXV. Basilii. Et profecto Auctor Chronici Alexandrini quatuor tantum & viginti Basilii Postconsulatus numerat, totidemque annos *sine Consule* recensent Fasti Heracliani. De Continuatore Marcellini idem esto judicium.

Denique rem hanc ut absolvam, nostram de duobus Consulatibus a Justino gestis an. 566. & 568. sententiam cum Pagiana de consulatu anni 567. & momenta singula utrinque prolata, ut invicem, JOANNES DOMINICE, componas, & de hac controversia judicio tuo decernas, velim. Nimirum perpendas, opinionem Pagii nullo ex iis præsidiis fulcitam esse, quæ certa & indubitata dici queant; ut sunt inscriptiones antiquæ, acta publica, & monumenta illo ævo condita, atque alia ejusmodi vetustatis indicia; at contra reputes nostram his omnibus adminiculis stipatam prodire firmatamque, ut dubitari haud posse videatur, quin ea quæ nos attulimus, auctoritatem omnem ac fidem apud te,

Se-

Senator amplissime, atque apud alios rerum æquos æstimatores, ac in dijudicandis antiquitatis quæstionibus versatos sint consequutura. Quod etiam de Cl. Vallecchio sperare licet, ut qui Pagium olim est sequutus, nostram modo de DUOBUS CONSULATIBUS Justini sententiam suffragio suo & auctoritate complecti ac sustinere velit.

CAPUT IX.

DE NUMMO ANNIÆ FAUSTINÆ.

Difficilis ob Damascenorum Epocham in nummo Anniæ Faustinæ exorta. Ejusdem Epochæ explicatio olim proposita. Nummus idem genuinus & probatæ fidei: Epocha corrupta. Non semel viri docti in dijudicandis nummis ex typo decepti. Uxoribus Principum post repudium ac mortem mariti mansit Augustarum appellatio: quod etiam hodie usu est receptum. Lucillæ, Manliæ Scantillæ, Juliæ Domnæ, ac Corneliæ Paulæ exempla ab objectionibus Vaillantii vindicantur. Quid de conjuge Severi Alexandri statuendum. Herodianus parum æquus in Alexandrum, ac Mamæam ejus matrem. Annia Faustina post mortem Elagabali sub Alexandro Augustæ nomen retinuit. Ejusdem Cæsaris in eam ob Antoninorum cognationem favor. Faustinæ permitti potuit etiam numismatum honos. Ingens apud populos in Antoninos amor, ac pietas Deos reverentia. Explicatio Epochæ nummi Anniani satis congrua, si Epocha ipsa vera esset. Complexio hujus controversiæ.

QUi nobis disputationis hujus campum aperuerat nummus Anniæ Faustinæ, tertiæ Elagabali uxoris, parum abfuit, quin extra castra malo suo fato deturbaretur, nosque etiam collectis vasis a loco pugnæ excedere cogeremur. Ille enim ex quo in lucem prodiit, magnis contentionibus apud eruditos cum agitari cœpisset, plerisque omnium sinceritatem ejus vindicantibus, aliis vel falsi suspicionem vel corruptæ integritatis labem inferentibus, nunc demum res ipsa, de qua lis versabatur, judicio decretorio dirempta est. Tum primum cum illi de statu quæstio moveretur, famæ ejus atque honori consulere satagens, Epocham Damascenorum qua erat inscriptus, edita Dissertatione epistolari ad virum Cl. Joannem Antonium Astorium, ut in limine hujus Operis dixi, asserere atque explicare adnisus sum. Ea Epocha in apographo mihi exhibito hos characteres præferebat ΔΑΜΑС. ΚΗΝΩΝ ΕΛΦ. *Damascenorum anno* DXXXV. Annus 535 deductus ab anno U. C. 442, a quo initium capit Damascenorum Æra, quæ eadem est ac Seleucidarum, incepit per autumnum anni Urbis 976 & desiit anno 977. Cum vero Elagabalus pessimę vitæ finem fecerit Martio mense A. U. 975 non minus quam anno uno cum dimidio post ejus mortem nummus Faustinæ percussus esse poterat. Hinc ingens illa in nummum ipsum exorta tempestas est plerisque omnibus reputantibus, qui fieri potuerit, ut is honos Faustinæ habitus sit post obitum mariti, qui in

odium

odium generis humani scelerum immanitate in curterat. Nodum hunc alii scindebant, fidem numismati abrogantes: alii frustra conabantur variis dissolvere explicationibus. Mihi visum fuit, ex quo Faustinæ insignia principatus, ac titulos Augustæ manserint, permissum quoque fuisse ab Severo Alexandro, qui Antoninorum nomen, a quibus Faustina genus suum ducebat, secundum Deos reverebatur, eidem haberi numismatum honorem. Sententiæ huic meæ haud sibi acquiescendum putavit Cl. Vallecchius: nam posteaquam ejusdem Epistolæ meæ capita quædam, de quibus in superioribus actum est, exagitavit, hanc quoque ejus partem excutiendam sibi suscepit.

Cum itaque novas suppetias ac præsidia Faustinæ pararem, denuo res ejus turbari, misceri, ac in deterius ruere compertum est. Siquidem viri doctissimi Joannes Massonius, qui per id temporis Venetiis morabatur, & Joannes Vignolius, datis ad me literis monuerunt, nummum Faustinæ depravatum ac corruptum fuisse, sibique constare, additam præcipue seu transformatam Epocham Damascenorum, quæ a Nummo, anteaquam scalprum pateretur, omnino aberat. Inter hæc, ne Numismatis tui fatum in incerto jactaretur, tu illud, JOANNES DOMINICE, Romam judicio eruditorum examinandum submisisti, qui de caussa hac ita pronunciarunt: Nummum genuinum ac indubitatæ fidei esse, atque cum rarissimis comparandum: ejus ectypum, quem prodidit Diarium Venetum, non uno in loco perperam delineatum.

tum.

fum esse restitutum, ac superinductum nomen Damascenorum, atque Epocham, culpa artificis, qui Nummum expoliendum ac purgandum susceperat: ille enim, ob summam in hisce rebus tractandis inscitiam, literas in parte superiori, utpote densa ærugine obsitas, cum assequi non potuisset, inducto liberiori scalpro eas transformavit, atque ad arbitrium suum imperite effinxit. Ceterum germanos ac veros characteres, quamquam alicubi corruptos atque informes, ita adhuc se prodere, ut in dubium vocari nequeant, atque in hunc modum legendos esse: ΑΓΩΝ Α' ΟΛ.. ΑΝΤΩΝΕΙΝ.. hoc est, *Agon primus Olympicus Antoninianus*. Hæc summatim decerpsi ex eorum expositione, quam nuper ediderunt Ephemeridum Italicarum Auctores tom. X. pag. 498. Porro idem Cl. Vignolius in Dissertatione *de anno I. Severi Alexandri*, typum etiam protulit, a Nummo, antequam manus imperitas subiret, expressum. Ut vero & hoc addam, mihi quoque de hoc celebri Numismate non leves suspiciones jamdudum exortæ sunt. Cum enim Venetiis apud te illud invisrem, multo tamen post editam Epistolam, signa deformationis quædam, præsertim in Epocha, statim olfeci: quæ amico Astorio, qui mecum tum erat, indicavi, eademque postea Cl. Silvestrio, quocum post graviores curas de rebus literariis agendo recreari soleo, non semel aperui. Ceterum quod ego mihi imponi ab apographo passus sim, & falsam Epocham pro vera acceperim, nec novum est, nec insolens iis, qui præsertim ex typo, ut mihi contigit, de num-

mis

mis dijudicant. Docti etiam viri, & in antiquitate versatissimi non semel in lapidem hunc offenderunt; quos inter vel solus Card. Norisius exemplo esse potest. Ex Museo Rigordi patricii Massiliensis ectypus nummi Herodis Antipæ illi in manus venerat, in quo insignis Epocha notata cum esset, rogatu Antonii Pagii eam explicandam Vir doctissimus suscepit, ediditque eruditam Dissertationem, quam habemus post illustre opus de Epochis Syromacedonum. Sed ipse quoque operam lusit; siquidem non multo post compertum est, non ita in numismate ipso legi, atque ipse cum ceteris legendum putaverat. Quare ab amicis Parisiensibus de errore monitus, genuinos ejus characteres iterum in æs incidendos curavit, quales reapse in eodem numismate detecti fuerant; quam rem a Norisio edoctus aperit Emanuel Schelstratius in Antiquitate illustrata tom. I pag. 653. ubi & ipse emendatum dedit nummum Antipæ, quem ex Norisio depravatum vulgaverat pag. 498. num. 15.

Quod vero in hoc rerum statu ad me attinet, satis jam intelligo, curam omnem & consilium tuendi ac vindicandi Epocham Damascenorum typo Veneto nummi Anniæ Faustinæ inscriptam, mihi esse abiiciendum. Num ergo ab universa etiam caussa, quæ mihi cum Cl. Valsechio est, subinde cadam, & in hac nostra concertatione de gradu me prorsus dimoveri sinam? Non unum est, quod inter nos judicio dirimendum restat. Dixeram, ex quo Epocha Damascenorum in Nummo obsignata excedit Imperium Elagabali, non ideo Nummum ipsum reum falsi

da-

damnandum esse: aliam quippe subesse caussam posse, cur ita factum sit. Etenim hoc mihi persuasitam, uxores Cæsarum, tam post repudium, quam post horum mortem, titulum atque insignia *Augustarum* retinuisse, nisi vel maritus, vel successor eosdem illis honores ademisset. Hinc inferebam, Anniam Faustinam post obitum Elagabali *Augustam* utique fuisse appellatam, eum ex hac regula, quam non uno exemplo communieram, tum etiam quod caussa inerat, cur successor Elagabali Severus Alexander non solum ea illi ornamenta tueretur, sed magis etiam ac magis augeret ampliaretque. Propterea idem quoque cudi nummos permisisset: qui honos aliis etiam Augustis post mariti excessum habitus est. Ergo mirum haud esse, nummum Damascenorum Faustinæ dicatum præferre Epocham biennio excurrentem Elagabali principatum. Cl. Valsechius consequutionem hanc vel silentio transmittit; vel saltem aperte non impugnat. In id vero incumbit, ut probet, exempla a me adducta in rem non esse, neque ex his inferri posse, Faustinæ relictum nomen Augustæ, nec ab Alexandro nummismatum honorem permissum. Itaque licere mihi arbitror objectis viri clarissimi occurrere, ut hoc saltem constare possit, si vera esset Epocha Damascenorum, non omnino futilia esse ac inania, quæ ad eam explicandam atque illustrandam attuleram.

Itaque uxores Imperatorum titulos atque insignia præteritæ dignitatis post illorum fata retinuisse, valde rationi consentaneum esse reor. Non imperii, non majestatis, non supremi fa-

ftigii jura ftetiffe, lubens admitto. at ea quæ perfonæ Principi veluti infixa funt, quæque deleri, atque a memoria hominum excidere nequeunt, ut titulus *Auguftæ*, regius famulatus, ac veftigia faltem aliqua, atque argumenta priftinam amplitudinem referentia, cur extingui ftatim & aboleri debuerint, non video. Id vero fub placidis Principibus potiffimum ufuveniffe, atque erga feminas non tam defuncti mariti, quam ftirpis Auguftæ fplendore corufcantes, omnino verum arbitror. Narrat Herodianus lib. 4. cap. 6. Antoninum Caracallam morte affeciffe *fororem Commodi jam anum, atque ab omnibus Imperatoribus, ut Marci filiam oportuit, magno in honore habitam.* Illuftri huic feminæ fi præter natalium claritatem, uxoris cujufpiam Cæfaris dignitas acceffiffet, non dubito, quin ab *omnibus illis Imperatoribus*, qui extra familiam erant, Auguftæ titulo & principatus infignibus uti permiffum fuiffet. Quod in Annia Fauftina, quæ eofdem Antoninos Marcum & Commodum proxima cognatione attingebat, & fortaffe ejufdem, de qua modo memoravimus, *fororis Commodi* filia erat vel neptis, ab Alexandro factum, qui Antoninorum memoriam impenfiffime reverebatur, ut mox dicam, facile unufquifque intelliget. Si uxores Confulum, poft geftum a marito magiftratum, *Confulares* feminæ dicebantur, ut teftatur Ulpianus leg. I. §. 1. Dig de Senatoribus, cur Augufti Conjugi, eo vita functo, nomen *Auguftæ* non fuerit relictum? Quid fi noftro quoque ævo mos idem manet? Etenim fpectamus principes feminas, quamquam alienæ a mariti fucceffore familiæ, regio no-

nomine ac titulis, cultu, apparatu regali & prærogativis uti: atque ab omnibus regium in modum acceptas esse, regiisque honoribus exornatas.

Nihilominus Cl. Valsechius abrogatos Augustis feminis honores censet post virorum excessum, nec permissos fuisse unquam, nisi a successoribus necessitudine conjunctissimis, ut factum est in Livia, Antonia, atque Agrippina. *Lucilla* quoque, inquit ille, *post mortem Veri eadem titulus, ac principatus insignia relicta fuere, sed primum a Patre, deinde vero a Fratre*. Expendamus locum Herodiani, quem ego ex cap. 8. lib. 1. attuleram: *Sed postquam Lucius fato functus est*, MANENTIBUS ADHUC PRINCIPATUS INSIGNIBUS, *Pompejano eam pater despondit*, NIHILO TAMEN SECIUS *pristinum illi honorem Commodus reliquit usurpandum. Nam & sella imperatoria sedere, & ignem de more præferre patiebatur*. Verba hæc indicant, mansisse apud Lucillam post mortem viri principatus insignia, potius ex more recepto, quam ulla patris ex indulgentia. Qua quidem indulgentia opus fuit postea: nam Lucilla ob nuptias cum Pompejano in privatæ feminæ sortem delapsa, principalis fastigii jura cum amisisset, *nihilo tamen secius*, ait Historicus, pristinum illi honorem Commodus reliquit. Ergo ante nuptias, nec patris, nec fratris permissu egebat Lucilla, ut principatus insignibus, ac titulis uteretur.

At vero duo alia exempla docent relictum uxoribus Cæsarum nomen *Augustæ*, & principatus ornamenta, quamquam ex aliena familia, nul-

loque sanguinis vinculo cum successore devinctis. Accepto a Prætorianis seu promercato Imperio Didius Julianus, subinde a Senatu Imperator cum esset salutatus, *uxor etiam Manlia Scantilla*, ait Spartianus cap. 3. de ejus vita, *& filia ejus Didia Clara AVGVSTÆ sunt appellatæ*. Postero die cum in Senatum venisset, *egit gratias, quod esset ascitus, quod & ipse, & uxor, & filia ejus Augustarum nomen acceperunt*, subdit Historicus cap. 4. At eo interfecto Septimius Severus rerum summam adeptus, Didiæ Claræ dignitatem & nomen non permisit. *Filiam suam*, de Juliano loquitur idem Spartianus cap. 8. *potitus imperio dato patrimonio emancipaverat, quod ei cum AVGVSTÆ nomine sublatum est*, a successore nimirum Severo. Nihil Historicus de Manlia Scantilla. Illi ergo nomen *Augustæ* sublatum non est. Quid enim de matre tacuisset, quod adeo fuit solicitus narrare de filia? Scilicet nulla in Scantilla aderat causa, cur Severus non ei ex more permitteret nomen *Augustæ*: plurima aderat in Didia. Patrimonio ejus inhiabat novus Imperator: quod dignitati sustinendæ datum cum fuisset, ut patrimonium rapere posset, etiam dignitas erat detrahenda. Quod Spartianus ipse, utrumque factum conjungens, nobis innuere videtur. Valsechius nihil aliud opponit, quam quod de hac *re non satis constat*. At si *satis constaret*, opus non esset conjecturis agere. *Satis hoc constat*, Elagabalum annos suos numerasse ab interitu Caracallæ? & tamen V. C. puris putis conjecturis ad hoc maximum historiæ opus construendum contentus fuit. Passim sibi est ille indulgentissimus, &

su-

folis conjectationibus res graviſſimas componit: ut nobis certe ſpem fecerit, eadem nos quoque uti poſſe conjectandi licentia.

Macrinus interempto Caracalla imperium ingreſſus, *nihil de regio famulatu* Juliæ Domnæ huius Matris, *aut de ſtipatoribus, quos ſecum habebat cuſtodiæ cauſſa, immutavit*, ait Dio apud Xiphilinum pag. 887. ſcilicet priſtinæ dignitatis inſignia, quæ Auguſtæ trium Cæſarum uxori ac matri debebantur, intacta reliquit Imperator. Valſebius id pura indulgentia Macrini conceſſum, atque eos honores præter ſpem Juliæ Domnæ contigiſſe decernit: nam illa, inquit, ut idem Xiphilinus tradit, *cognita filii cæde ita affecta eſt, ut ſe graviter percuteret, ac mortem ſibi conſciſcere conaretur. Eum enim quem vivum oderat, lugebat mortuum, non quod cuperet illum vivere, ſed quod ipſam* PRIVATAM VITAM DEGERE OPORTERET, *ob eamque cauſſam vexabat Macrinum multis convitiis*. Ergo Julia ſibi eſſe degendam *privatam vitam* timebat: & ſumma id quidem timebat ratione. Quid enim ſperaret ſuetos matri dignitatis titulos Macrinum relicturum, qui filio imperium ac vitam per ſummum ſcelus ademerat? Quapropter ſatius ducebat mortem ſibi inferre, quam a tyranno contra jus faſque in abjectam *privatæ vitæ* calamitatem detrudi. Cum vero nihil a Macrino immutatum, ac ſolita Auguſtarum privilegia ac decora ſibi relicta cognoviſſet, tunc, ſubjicit Xiphilinus poſt verba primum recitata, *cœpit, bona ſpe mota, deſiderium mortis deponere*. Hæc profecto illi acciderunt *præter ſpem* ſed non eam ob cauſſam, quam V. C. arbitratus eſt.

Quod

Quod erat alterum regulę nostræ de Imperatorum uxoribus caput, ut nimirum eæ post repudium appellationem Augustarum retinuerint, nisi maritus intercessisset, duobus pariter exemplis exposueram. Horum primum pluribus exagitat Valsechius alterum silentio premit. Scilicet in illo quidpiam reprehendendum invenit in istud censuram non potuit intendere. Julia Mamæa Severi Alexandri mater puellam patricii generis filio in matrimonium collocaverat, quam deinde aula per omnem contumeliam exegit. Cum se dignitate ac viro spoliatam cerneret infelix puella, sibi saltem permitti *Augustæ* nomen deprecabatur. *& cum* IPSA TANTUM *vocari* AUGUSTA *vellet*, ait Herodianus lib. 6. cap. 1. id a Mamæa impetrare nequaquam potuit. Hinc inferebam, puellam non fuisse ausam in tanta calamitate Augustæ nomen expetere, nisi illud dimissis conjugibus relinqui in more positum fuisset. Objecit V. C., nequaquam hunc sensum, quem ego putavi, verba Herodiani præferre atque ut me deprehensum ostentaret magnificentius, non uni tantum, ut olim C. Duillius, sed tribus columnis victoriæ suæ titulos inscriptos voluit. Quippe textum Græcum Herodiani, versionem Angeli Politiani, qua ego usus sum, & suam, tribus ordinibus, totam paginæ faciem implentibus, concinne disposuit. Textus Græcus a Valsechio expressus sic se habet. *Collocaverat autem illi* (Mamæa Alexandro) *in matrimonium feminam patricii generis, quam cohabitantem & dilectam postea regiis ædibus exegit. Contumeliasque inferens*, ϗ̀ βασίλισσα εἶναι θέλουσα

μό

jelov, & Augusta, SOLA *esse volens*. Ergo, ait V. C. & rectè quidem, verba hæc non de puella accipienda esse, sed de Mamæa quæ cum SOLA *vocari Augusta vellet*, ideo illam expulit regiis ædibus. At versio Politiani mihi tunc fucum fecit, in qua cum vox illa μόνη non *sola*, sed *tantum* reddita esset, Augustæ appellationem ad puellam retuli. Sic autem ille vertit: *Despondit item filio in matrimonium puellam patricii generis, quam etiam marito charam gratamque in primis, eandem paullo post aula per omnem contumeliam excegit. Et cum ipsa TANTUM vocari Augusta vellet*, nimirum cum ipsa puella, de qua proximus sermo videbatur esse, TANTUM *vocari Augusta vellet* scilicet hoc *tantum* peteret, ut *Augusta* vocaretur. Ita tunc hæc verba intellexi, non animadversis sequentibus, quæ ad Mamæam pertinent: si male, manum ferulæ non subduco.

Ceterum contumeliæ in puellam eo progressæ sunt, quod pergit narrare Historicus, ut pater ejus impatiens injuriarum confugerit in castra, Mamæam accusans nihil non contumeliæ afferentem, quem illa indignata interfici jussit, puellam vero ædibus imperatoriis exactam in Africam relegavit. Rem eandem describit Lampridius ex Dexippo, qui Alexandri ætatem videre potuit, nam sub Gallieno historiam suam literis tradidit, teste Trebellio Pollione in Gallienis cap. 13., sed caussam calamitatis puellæ longe diversam affert, quam Herodianus. Ejus sunt verba ex cap. 49. de vita Alexandri: *Dexippus dicit, uxorem eum cujusdam Martiani filiam duxisse, eundemque ab eo Cæsarem nuncupatum. Verum*

cum

cum vellet insidiis occidere Alexandrum Martianus, detecta factione, & ipsum interemptum, & uxorem abjectam. Legerat Herodianum Lampridius, quem non uno loco citat, & tamen Dexippum sequi maluit: quod fortasse hujus narratio illi visa esset verior. Etenim noverat, Herodianum parum æquum fuisse Alexandro, ut ipsemet ait in Maximinis cap. 13 ideoque de ejus fide dubitandum esse censuit, tanquam si & matrem plus nimio invidia onerare voluerit, factum hoc atrocissimum ejus ambitioni atque impotentiæ tribuendo. Quod sane factum vero esse simile haud videtur in femina, quam *optimam* vocat idem Lampridius cap. 66, atque etiam pietate in Deum, & Christiana religione imbutam tradunt veteres, Eusebius, Orosius, Syncellus, & alii. Cujus odii adversus Mamæam argumenta non obscura prodidit Herodianus: quippe licet illam pecuniæ avidam atque avarissimam alii quoque Auctores scripserint, ipse tamen rem ultra modum ac fidem perduxit, cum de ea ait, non solum *thesauros congessisse*, sed etiam *per fraudem bona quorundam atque hereditates suppilasse*, atque *obnoxias sordes in pecuniis congerendis invisum Alexandrum reddidisse*, lib. 7. cap. 1 & ultimo. Præterea haud consentaneum rationi videtur, Mamæam præter omnium Augustarum morem, atque ipsiusmet sororis suæ Soæmidis, quæ plures nurus Elagabali uxores *Augustas* vidit, & passa est, solam esse ac vocari Augustam voluisse. Demum & res ipsa narrationem Herodiani suspectam reddit. Si enim *sola* vocari *Augusta* voluit Mamæa, cur Sallustiæ Barbiæ Orbianæ, quæ cum apud Anti-

qua-

quartos diu alieno toro tradita esset, tandem insignis nummi testimonio Conjugi suo legitimo ac vero Alexandro restituta est, non etiam rapuit illustrem hanc appellationem? Etenim plura extant numismata tam Græca quam Latina, in quibus Sallustia *Augustæ* nomen & titulum gestat; ut videre est apud Vaillantium in Numimis Græcis pag. 141., & in Num. argenteis & æreis Imp. pag. 303. & 146. & Mediobarbum pag. 327. Memmia quoque tertia Alexandri conjux nummos ostentat titulo *Augustæ* insignitos, apud Goltzium in Thesauro pag. 101. Neque enim Memmia hæc eadem est uxor Alexandri ac puella, de qua hactenus sermo fuit, uti perperam arbitrati sunt Casaubonus in notis ad Lampridium de vita Alexandri Cap. 20. ac idem Vaillantius de Coloniis Latinis, alterius editionis pag. 228. nam Memmia a Lampridio luculenter eodem loco dicitur filia *Sulpitii viri Consularis*: puella vero nostra apud eundem, ut vidimus, *Marciani* filia erat. Quod Sulpecium *virum Consularem* vocet Lampridius, is non alius ex ratione temporum esse potest, quam *Flavius Claudius Sulpitianus*, qui A. C. 193. Consul suffectus processit, ex Lydiato in serie sum. mag. pag. 107 apud Almeloveenium in Fastis pag. 93.

Alterum exemplum, quod præterit Valsechius, hoc erat. Herodianus initio capitis 6. lib. 5. tres uxores Elagabali memorans, de prima hæc habet: *Duxit uxorem illustrissimam Romanam feminam, quam etiam* AUGUSTAM *appellavit*. Apud Xiphilinum ea est *Cornelia Paula*, cujus non unum extat numisma cum titulo *Augustæ*. Attamen E-

Aa la

lagabalus, prosequitur Herodianus, *cum ea paulo post divortium fecit, ademptisque honoribus privatam colere vitam jussit*. Ergo si non *jussisset* Elagabalus, Cornelia Paula *vitam privatam* non egisset, sed intactis *honoribus* pristinam dignitatem, & nomen Augustale retinuisset. Et profecto si post divortium Cæsarum conjuges eo ipso honores dimisissent, quid opus erat, ut conceptis verbis Historicus scriberet, eos fuisse Corneliæ Paulæ ab Elagabalo ereptos? Factum id ab inquo viro contra jus ac fas ideoque inter ejus facinora hoc quoque recensendum duxit Herodianus. Præterea si hoc tradidit de Cornelia Paula, cur etiam de duabus aliis uxoribus, si iis quoque honores fuissent erepti, non memorasset? Statim enim subdit *Post illam vero*. *Virginem Vestalem*, quæ fuit Aquilia Severa, *pro uxore habuit*. *Sed eam quoque paullo post dimisit, tertia uxore ducta, quæ referre genus suum ad Commodum dicebatur*, nimirum nostra Annia Faustina. Ideo certe tacuit, quia nulla vis illata iisdem fuit, neque honores ac summæ dignitatis insignia sublata. Fuisse autem has quoque *Augustas* appellatas, quamquam Herodianus non meminit, nummi earum planum faciunt.

Hæc omnia, quæ olim prolata nunc fusius exposui, eo animum videntur impellere, ut Anniæ Faustinæ, non solum post divortium, sed multo magis post mortem Elagabali sub Severo Alexandro relictum ac permissum nomen *Augustæ*, ac principatus anteacti ornamenta facile conjectandum putem. Faustina *genus suum ad Commodum* referebat, ut ex Herodiano antea diximus.

eam-

eamque Dio apud Xiphilinum *M. Aurelii neptem* vocat. Quamvis autem neuter eorum Anniam Faustinam hanc esse prodat, ea quidem ab Antoninis profecta cognatio non alii ex conjugibus Elagabali, quam ipsimet Anniæ aptari potest, ut inter omnes eruditos jam convenit. Porro Alexander erga Antoninos tanta ferebatur amoris ac reverentiæ inclinatione, ut Faustinæ nedum honores pristinos, & Augustæ cognomen reliquisse par sit credere, sed pene dixerim, etiam si ablata fuissent, sponte sua eosdem restituturum. Cum Senatus novo Principi nomen *Antonini* deferre vellet, modestissime ille recusavit, dictitans se non posse *tanto nomini satisfacere*, timere se illud *venerabile nomen*, imo *numen potius* quę cum aliis ejus erga Antoninorum memoriam observantiæ argumentis legere est apud Lampridium cap 7. & seqq. Refert idem Historicus sub initium Elagabali, hunc Imperatorem sibi Antonini nomen adscivisse, *quod ad nomen usque adeo carum esse cognoverat gentibus, ut etiam parricida Bassianus*, nimirum Caracalla, *caussa nominis amaretur*. Quid non *amaret* Faustinam Alexander, quæ non adscititium, ut Caracalla, sed verum Antoninorum nomen & sanguinem præseferebat? Quod si, uti ante dixi, *ab omnibus Imperatoribus* sorori Commodi honores quam maximi, qui feminæ privatæ tribui poterant, sunt habiti, facile intelligemus, eos quoque, qui feminæ olim principi, ac Cæsaris uxori competebant, Faustinæ detulisse Alexandrum, qui Antoninorum familiam ac nomen supra quam dici possit, colebat. Nec odium totius Orbis in

Elagabalum, olim Faustinæ maritum, me movet. potior enim Alexandri amor erga Antoninos mihi est.

Ut vero, quod V. C. opponit, in Annia tulerit *Augustæ* appellationem Mamæa, quam non toleravit in uxore filii, præterquam quod hæc narratio Herodiani admodum suspecta est, ut diximus, potuit Mamæa, quæ sanguinis conjunctione Antonino Caracallæ devincta erat, illud ipsum nomen, in Anniam ab Antoninis Marco & Commodo profectum, revereri. Quod olim quoque notaveram in Dissertatione mea Epistolari his verbis: *& Mamæa honori Faustinæ non repugnasset ob Antoninorum memoriam: quippe quæ proxima affinitate cum* ANTONINO CARACALLA *juncta erat*. Quæ verba serio ut perpendat, etiam atque etiam virum humanissimum rogo, ut possit hoc sibi persuadere, me non ignorasse, Alexandri affinitatem, quæ eadem erat ac matris, ipsi non intercessisse cum veris Antoninis, sed tantum cum Antonino Caracalla: licet aliquid tunc mihi exciderit festinanter legenti, ac festinantius exscribenti Lampridium in Alex. cap. 11. & Xiphilinum ad finem Elagabali.

Quoniam igitur non una conjectura assequimur, relictum fuisse Anniæ Faustinæ nomen *Augustæ* sub Severo Alexandro, non omnino videtur a vero absonum, concessam quoque nummatum prærogativam. Liviæ quidem, Agrippinæ, & Antoniæ post virorum excessum a Successoribus dicatos nummos, ait Valsecchius, sed plurimum inter has & Faustinam interesse: hæc enim sanguine non contingebat Alexan-

drum,

drum, ex illis duæ erant matres Successorum, tertia avia. Verum id fateor, at non ideo consequitur ob alias rationes hoc ipsum privilegium in Faustinam, licet alienæ familiæ feminam ab Alexandro conferri non potuisse. Exemplum unum in rem afferam. Primus inter Galbæ nummos apud Mediobarbum his characteribus notatus legitur DIVA AUGUSTA. Subjicit Auctor, hunc nummum in honorem Liviæ a Galba fuisse percussum, ipsius enim opera pervenerat ad aulam imperatoriam, ex Svetonio. Angelonus alterum delineatum offert pag. 67. cum lemmate AVGVSTA, illumque pariter ad Liviam pertinere ait. Galba summis beneficiis a Livia uxore Augusti affectus est, eamque quam maxime coluit. *Observavit ante omnes Liviam*, inquit Svetonius in Galba cap. 5. *cujus & vivæ gratia plurimum valuit, & mortuæ testamento pene ditatus est.* His de caussis memoriam ejus pridem defunctæ renovare voluit Galba, nummis in ejus honorem cusis, quamvis *nullo gradu*, ut testatur idem Historicus cap. 2. *contingens Cæsarum domum*. Non dissimulaverim, Plutarchum initio vitæ ejusdem Imperatoris hæc scripsisse ex versione Hermanni Cruserii. *Ad hæc intercedebat Galbæ* ALIQUA *cum Cæsaris uxore Livia necessitudo atque inde Liviæ beneficio Consul ex Palatio progressus est.* At sicut in hac postrema narratione falsus est Plutarchus, nam Livia ante quadriennium quam Galba Consulatum gereret, e vita discesserat, uti probat Card. Norisius in Epistola Consulari pag. 18, ita decipi potuit in tradenda ejus cum Livia necessi-

tu-

tudine: de qua profecto nihil memorat Suetonius, cum maxime id postulabat occasio. Praeter quam quod ex ipsis Historici verbis apparet, hanc conjunctionem remotiorem fuisse, quam ut Valsechii regulæ aptari possit, qui ad numismatum honorem proximum sanguinis vinculum reposcit. Quare manet adhuc, nostram conjecturam non carere exemplo, atque extra veri similitudinem nequaquam esse, Alexandrum ob eximium erga Anniam favorem ei permisisse numismatum prærogativam. Cumque Civitates Asiæ nomini Faustinæ essent impensissime devotæ: uti tot nummi ostendunt percussi apud Prusam, Berithum, Sidonem, Lysimachiam, Troadem, Niceam, Ptolemaidem, quos exhibent Harduinus, Vaillantius, Patinus, ac Mediobarbus, credibile est, Civitates ipsas in Faustina suspicantes Antoninorum propaginem, ac Principis favorem, hęc honoris testimonia etiam sub Alexandro in eam detulisse. Etenim Antoninorum nomen ita inoleverat, ait Spartianus in Caracalla cap. 9., *ut velli ex animis hominum non posset, quod omnium pectora velut Augusti nomen obsederat*, atque *clarius illis temporibus*, teste Lampridio in Diadumeniano cap. 7 *non fuerit vel Deorum*: ingensque adeo eorum *desiderium* populos occupabat, ex eodem cap. 1. & Capitolino in Macrino cap. 3., Imperatorem nollent, nisi Antonini appellatione prefulgentem: qui sensus etiam Senatus Romani fuit, qui precibus, votis, & acclamationibus nihil non egit, ut Alexandrum Antonini nomine cohonestaret.

Hęc

Hæc quæ ita conjectando differui, si quis adhuc assensione sua comprobare negaverit, eum velim, ad ea ut se tempora conferat, in quibus ad conscribendam Epistolam, quæ tot concertationibus jactata est, accessi. Proponebatur insignis nummus Anniæ Faustinæ, qui Epocham Damascenorum præferebat, biennio fere excurrentem post obitum Elagabali ejus viri. Accedebat numisma aliud ejusdem Anniæ (de cujus quidem sinceritate post Cl. Valsechii objectiones cum ad nos non attineat definire, provinciam hanc doctissimis Trevoltiensibus, qui illud vulgarunt, relinquimus) in quo pariter numismate Epocha apparebat, ejusdem Elagabali imperium transgrediens. Dixi ergo tum temporis, cum eruditorum hominum testimonio & auctoritate fretus, de neutrius nummi fide ambigebam, subesse viam, qua excessus Epocharum percommode explicari posset. Faustinam post fata mariti *Augustæ* nomen ac prærogativas retinuisse credi posse sub Alexandro meruisse etiam numismatum honorem, datum hoc videlicet nepti M. Aurelii, & Commodi consanguineæ, datum dignitati ejus, datum amori, reverentiæ, ac desiderio, quibus Imperator, quibus Senatus, quibus universus Orbis Antoninorum nomen ac memoriam prosequebantur. Hæc cum dixi, in eo quo tum versabar rerum statu, me futilia omnino, atque a veri prorsus imagine aliena dixisse non arbitror. Ac si per Superos liceret, ut vera esset Epocha Damascenorum nostro numismati præsignata, non alia apriore via explicari eam posse, nunc quoque existimarem.

Ce-

Ceterum in universum de tota hac controversia sic statuendum censeo. Uxores Imperatorum vel dimissas, vel marito superstites, indiscrimi natim retinuisse *Augustarum* appellationem & ornamenta, nisi hoc illis vetitum ab regnante fuisset: uti constat principibus feminis proxima cum successore necessitudine junctis tributum nummatum honorem, ita nihil obstare, quin alienis etiam, & nulla cognatione devinctis peculiares ob caussas permitti potuerit eadem nummorum prærogativa: denique quandocunque hujusmodi nummus aliquis sese nobis obtulerit, consentaneam maxime hanc futuram esse rationem illum explicandi ac peropportunam.

F I N I S.

In fine Cap. VI. pag. 102.

ADDENDA.

Quandoquidem nihil hactenus allatum fuit ad explicandam Tribuniciam Pot. V Elagabali, quod non aliqua difficultatis labe adspersum sit: nummus enim a Cl. Vignolio editus Pagiano Systemati adversatur; ipsius vero Vignolii novam methodum lædit Paschalis Hippolyti Canon, propterea tentanda mihi alia ratio superest, a qua cum olim quoque me non longe abesse suffragio meo professus sim, eam nunc denuo Conjecturis quibusdam auctam atque exornatam profero. Dixeram cap. V. pag. 67., Elagabalum salutatum a militibus Imperatorem fuisse die XVI. Martii an. 218. non vero Maii, ut vulgati Dionis, seu Xiphilini textus produnt; propterea quod ea quæ acta narrantur inter salutationem, & pugnam cum Macrino, nequaquam potuerint geri intra illud temporis spatium, quod a die XVI. Maii ad diem VII. Junii, qua ea pugna commissa fuit, numeratur: atque exinde conjectaveram, ob similitudinem principis literæ utriusque mensis Librarios Majum pro Martio in textum conjecisse, uti accidit mensi proclamationis Septimii Severi. Nunc autem videntur mihi in hanc sententiam contendere etiam Auctores Greci, qui, ut supra pag. 45. memoravi, quatuor annos Imperio Elagabali adscribunt. Non enim hunc plenum annorum numerum sequuti sunt, ne se in Dionis annis &

 inen-

mensibus implicarent, quod tunc conjiciebam, sed quia aliud quam Dio, initium Elagabali sibi proposuerunt. Dio tempus imperii ejus deducit a pugna cum Macrino, illi vero a militum acclamatione: quamobrem Dio tres annos, menses novem, dies quatuor computavit, illi quatuor integros annos. Nimirum si a morte Elagabali, quæ in diem decimum Martii anni 222 incurrit, retro ducantur anni quatuor, relabimur in diem X. Martii an. 218. proximam diei XVI, a qua Græcos scriptores exordium Elagabali petiisse, manifestum fit. Sed rem hanc luculentius ostendit Nicephorus Callistus hist. Eccl. lib. 5 cap. 17. *Post Antoninum*, inquit *qui annos septem, menses sex Romanæ rei præfuit, Macrinus eam administravit, qui* NEQUE AD ANNUM *cum perstrotraxisset*, (ὁς ὑδὲ ἐν' ἐνιαυτὸν ἐλαγχάνων) (non enim probo versionem Langii *qui nondum integro exacto anno extinctus*) *alteri Antonino imperii summam quatuor tantum annos retinendam reliquit*. Modus hic loquendi indicat, Nicephorum voluisse tempus Macrini accuratissime tradere. Macrinus regnum accepit die undecima Aprilis an. 217. quod regnum si *neque ad annum* perduravit, planum est, non fuisse numeratum usque ad pugnam cum Elagabalo, & usque ad tempus, quo *extinctus* est, ut Langius habet, quia contineret menses duos supra annum unum. Ergo Nicephorus dies imperii Macrini non computavit, nisi usque ad acclamationem Elagabali: quam proinde contigisse necesse est, non die XVI. Maii, sed XVI. Martii, a qua die ad diem decimam Aprilis retro numerantur menses undecim, & dies quinque, qui plane est annus non integer ab eodem Nicephoro recensitus

Ela

Elagabalus itaque die XVI Martii an 218 proclamatus fuit imperator. Porro verum arbitror, illum non a pugna cum Macrino, sed quidem ab acclamatione exercitus annos Imperii sui, & Tribuniciæ Potestatis numerasse. Hoc enim sollemne fuit iis Principibus, *qui*, ut ait Xiphilinus loco citato pag. 54. *non sibi successisse invicem, sed vivo & regnante altero*, horum enim *quisque Imperatorem se tum esse credidit, cum primum imperium quodammodo accepit*, nempe cum salutati Imperatores fuerunt, necdum omnem adepti potestatem. Instar omnium exemplo est Vespasianus, cujus *primus Principatus dies* ab acclamatione ductus fuit, ut ex Tacito, & Svetonio eadem pagina notavi. Ergo si Elagabalus die XVI. Martii 218 primam Potestatem Tribuniciam suscepit, annus ejus quartus desiisset, & quintus inchoatus fuisset die XVI. Martii an. 222., nisi ante sex dies, nimirum die decima ejusdem mensis, occubuisset. Cum vero eadem die XVI. instauranda esset Tribunicia ejus Potestas quinta, nihil profecto est mirum, inveniri nummos Potestate eadem quinta insignitos. hi enim percussi fuerant ante ejus mortem, quæ diebus tantummodo sex præcesserat, & parati in officinis, ut præsto essent spargendi in populum ipso ejus natali die, qui maxima cum celebritate, ut Imperatores consueverant, agendus erat. Nemo enim negare potest, numismata ad certum diem distribuenda, necessario ante eam diem debuisse cudi. Non leve in id argumentum est, quod omnes nummi Tribunicia Pot. V. signati præferunt in parte aversa, vel processum Consularem, vel sacrificium, ut videre

est apud Mediobarbum, Vaillantium, & Valsechium pag. 94. ubi inter ceteros unum ex gaza Medicea cum sacrificio delineatum præbet. In nummis Elagabali annorum antecedentium cujusvis generis figuras, & Symbola observare licet: cur in hisce anni quinti sola hæc duo simbola reperiantur, nulla certe videtur alia esse caussa, quam quia ad sollemnitatem aliquam insigniorem pertinebant, quæ sollemnitas in his temporum ac rerum articulis sola hæc diei natalis Elagabali esse potuit. Dies enim natalis imperii celebris apud veteres imperatores fuit. Spartianus cap. 4. de Hadriano scribit: *Tertio iduum Augusti, quando natalem Imperii instituit celebrandum*: qui Hadrianus etiam *natalem adoptionis celebrari jussit*. Et natalem diem Imperii Trajani celebratum memorat Plinius lib. 10. Epist. 60. cum sequente ipsius Trajani, & Eumenius de natali Constantini idem tradit in Panegyrico cap. 2. Elagabalus igitur in natalis sui celebritate paraverat Processum ad ludos edendos, & sacrificium ad vota solvenda, quod quartum imperii annum feliciter exegisset, & nuncupanda ineunte anno quinto, sed cum mors apparatus hos omnes abrupisset, in hominum tamen commercium, quocunque velis modo, transierunt nummismata, quæ jam cusa erant cum Tribunicia Potestate V. ad hujusmodi Sollemnitatem repræsentandam. Porro Congiarium quoque ea die destinasse Elagabalum, suadet nummus mihi memoratus pag. 73. cum Epigraphe LIBERALITAS VI. in quo quamvis non adsit Tri. Pot. V., ad hanc tamen spectare ob eum numerum Liberalitatis sextæ, facile cum Mediobarbo conjectare licet.

Hæc

Hæc si vera esse possint, quod tibi, Senator præstantissime, definiendum dimitto, jam in tuto est Tribunicia Potestas V., & sublatæ sunt omnes difficultates, quibus viæ aliæ ad eam extricandam propositę impediebantur. Si enim dicamus, nummos cum eadem Trib Potestate V. percussos fuisse sex saltem diebus ante diem XVI. Martii, quo die iteranda erat Potestas eadem quinta, stant jam anni, menses, & dies Elagabali, quos Dio Cassius computavit a pugna cum Macrino: stat ejus mors collata in diem decimam Martii mensis: stat inscriptio Canonis Hippolyti, quę Alexandrum offert jam imperantem die XIII Aprilis: stat denique nummus Vignolii cum TR. POT. II. COS. III., cujus enim fuit anno 220. a Kal. Januariis ad diem XVI. Martii, quo tempore Elagabalus tertium agebat Consulatum, & Trib. Potestatem secundam, primam siquidem inchoaverat ex ante diem XVI. Martii an 218., quo die salutatus fuit imperator.

Fastos Heraclianos pag. 149. ita corrige.

Ιουστιν Αυγ μονο	σσ	ωκζ	ιδ
Αυγατα	σπα	ωκη	ιε
Ιουστιν Αυγ τεζμου	σπβ	ωκθ	α
Αυγατα	σπγ	ωλ	β

Pag. 67. pro *prematatio* lege *permutatio*
83. pro *chariffimi* lege *clariffime*
ubique pro *feculum* lege *faculum*.

IN-

INDEX.

lem illustrat 62. 95. Negat S Hippolytum Chronici auctorem 86
Boetii patris Epitaphium est contra Valesianum 108 115 125
Bonarota Philippus laudatur 5 18

C

Canon Paschalis. Vid Cyclus.
Casaubonus notatur 185
Cassinus Jo Dominicus, insignis Astronomus, edidit animadversiones in Canonem S Hippolyti 88 An recte Novilianum anni primi Juliani posuerit 97
Cathedra marmorea S Hippolyti, & Cyclus in ea exaratus 62 95 96 & vid Cyclus
Censura morum, & censura vivendi quid 113
Chronici Alexandrini Auctor de Consulatu Justini 166 167
Chronicon S Hippolyti 62. 86. 92 Nequaquam annexum operi de Paschate 91.
CLEMENS XI PONT MAX pag 112. 141.
Complere instrumentum quid. 144.
Conjuncta tutio imperii distributa 8 Elagabali ibid
Consulares feminae 178
Consulatus Justini primus an 566. demonstratur ex Epitaphio Florae, & Scheda Sarbonica 136. ex Corippo. 137 & seqq Secundus ex Papyro Ravennate 142 ex Fastis Heraclianis 149 in Novellis Justini expressus 151 155 157 ejus Consulatus an 567 rejicitur 163 & seqq
Consulatus, & imperii nota in actis publicis signata 132. Ea fuit ultimus privatorum 112. 132
Consules aliquando nulli, vel unus tantum 112. nequaquam notati in Canone S Hippolyti 83 Nec in Chronico. 86. Quo seculo a Christianis scriptoribus adhibiti 85
Corippus Poeta Africanus Justini annos computat a Kal Januariis 126. 128. Primum Consulatum anno 566 collocat 132 ejus poema per tempora digestum 138 & seqq
Cornelia Paula nummus explicatus 17 ejus matrimonium cum Elagab 24. Ab eodem honoribus privata 186
Cyclus Paschalis S Hippolyti a primo anno Alexandri initium sumit. 62. 83 88 ejus characteres indicant annum Christi 222 pag 62. Consules in eo non inscripti 83 Non fuit immutatus 95
Cyclus Paschalis Alexandrinorum a primo anno Diocletiani 87.

Cy-

Cyrillus Alexandrinus condidit cyclum 95 *annorum.* 88.

D

D*Amascenorum Epocha.* *Vid. Epocha*
Diagramma annorum Elagabali apud Ægyptios 39.
Dedicæ Claræ cur ablatum nomen Augustæ 180
Diocletianus per Rupam Strigam *Nicomediam contendit* 6. *Ab ejus anno* I. *Epocha Paschalis petita* 187
Dio Cassius rectè annos Elagabali consignavit. In Pref. & pag 60. 65. *Male a Valescbio distrahitur.* 42. *Annos imperatorum a proclamatione init* 48. & seqq. *ejus textus nequaquam corruptus* 92.
Dodwellus Henricus *in Adriani initio deceptus.* 37.

E

E*Lagabalus quo tempore cœpit Imperium, & decessit, & quot annis illud tenuit. in pref. & pag* 2 39 45 57 60 61 66 69 80 97 100 *Romam venit Julio mense* 4. 7. *Non decurrente Trib. Potestate tertia, ut voluit Valescbius, sed secunda* 8 9 10. *Terrestre iter tenuit.* 4. *Congiaria distribuit* 3. 8. *Mariæ nomen e Fastis eradit.* 16. 74. *In nummo Corneliæ Paulæ an Pacificatoris habitu, & ejus statua equestris* 19. 21. *ejus uxores per annos digestæ* 24. & *seqq. Anni apud Ægyptios* 39. *Deos omnes præter suum voluit extinguere* 64. *Sacra omnia profanavit.* 65. *Ejus nummi cum Trib. Potestate V. in Pref. pag.* 66. & *aliis. Salutatus imperator die XVI. Martii, non Maii.* 67. *Hoc fusius probatum.* 193 194. *Annus imperii a Kal. Januariis auspicatur.* 75. *Corneliæ Paulæ uxori honores ademit.* 186.
Episcoporum consecratio die Dominico. 160.
Epocha Augustorum 104. *Cæsariana* 105. *Augusti duplex.* 127. *Annorum Justini* 128 130. *Nabonassari* 25. *in nummis Græcis, & Ægyptiis* 26.
Epocha Damascenorum in nummo Anniæ Faustinæ Pref. & pag 173. *Falso destruitur* 175. *Breviore excurrit imperium Elagabali. Prefat. & pag.* 177. *An defendi possit* 191.

F

F*Abrettus* Raphael *laudatus* 114.
Fasti Græci explicati. 55. 100. *Heracliani expensi* 149.
Mas-

Maffejorum suspecti 164. 169

Felicitas in *Nummus* 5

Flaturarii *in officinis monetariis, eorumque munus* 146

Fontaninus Julius *possidet antiquissimum Instrumentum in papyro scriptum* 143 *laudatur ibid* & 159

Fort Johannes *Notarius Ravennae an.* 572 *sub Justino* 144

Fortuna redux in nummis 9

G

G *Nota numerum senarium indicat* 114. *Galbae nummus Aegyptii qua ratione explicandus* 31. & *seqq. mors quo die* 33. 48 *Liviae Augustae nummos cudit* 189

Gaudiosi Presbyteri antiqua inscriptio 116. *Probat initium Justinae* 117 *ejus ordinatio die Dominico* 119 *Post annos* 22. *a Diaconatu Sacerdotii gradum suscepit* 120. *Gelasius Papa collegit Sacramentorum formulas* 122.

Globus in nummis Orbem terrarum indicat 22.

Gutherius notatus 145 146

H

H*Adrianus Imp. Romanus per Illyricum pergit*, 6.

Ejus nummi Aegyptiaci explicatio 34. *imperii exordium*, & *finis* 35

Hebdomada Mediana, *quae* 119

Heraclius Imp. auctor Fastorum. 149 *Herodianus explicatur* 40. *ejus textus corruptus* 45 98 *quot annos tribuat Elagabalo* ibid. *Non aliter annos incompletos* 44 *parum aequus in Alexandrum*, & *Mamaeam*. 184. *ejus narratio suspecta* ibid.

S. *Hieronymus*, & *Eusebius de Cyclo Hippolyti explicantur* 81 83

S. *Hippolytus Cyclum Paschalem a primo anno Alexandri coepit* 62. 83. 86 88 *decimam quartam Paschalis eo anno incidis XIII. Aprilis*, *Sabbato*, *anno Chr.* 222. *pag* 62. *In Cyclo suo non posuit annum Consularem* 83 *neque in Chronico* 86

Hippolyti opus de Paschate 82. *nequaquam annexum Chronico*, *sed diversum* 91 *Quid scripserit in eo opere* 93 *Primo anno Alexandri confectum* 94

Historici Graeci quot annos Imperii Elagabalo tribuant 45.

I

I*Ndictio a primo die Septembris* 160

d by Google

Inscriptio Serapidis falsa, vel mendax 64. *Inscriptiones explicatæ pag.* 111 114. 116 136. 160. 162.

Instrumentum Ravennatense in papyro scriptum cum notis annorum Justini & ejus specimen ære incisum 141. *aliud* plenariæ securitatis *sub Justiniano.* 142.

Julianus rapuit imperium. 14.

Juliæ Domnæ permissa Principatus insignia. 181.

Julius Cæsar interfectus. 58. *primo dit anni a se ordinati Novilunium statuit.* 89. 90. *Dictaturam suscepit* 106. *Epocha Cæsariana* 105. 107.

Justinianus extinguit dignitatem Consulatem. 112. *jubet in actis publicis annos imperii præponi.* 132. *Quo die, & anno decesserit.* 138. *Annos P. C. modo Marcellinano computavit.* 152. 153.

Justinus Consul ordinarius anno 540. *An acceptus pro Justino Imp.* 150. 168.

Justinus Junior imperium accepit anno 565. *pag.* 110. 138. 161. *Quod certis argumentis probatur.* 112. *& seqq. Annos suos numeravit a Kal. Januariis ex Gaudiosi scheda.* 117. *Epitaphio Boetii* 125. *& Corippi versibus.* 127. *Quod cur fecerit.* 129. *An duas Epochas instituerit. ibid. Epocham Consulatus ab Epocha imperii non distinxit.* 128. 130. *neque induxit morem numerandi annos Imperii, ac Consulatus.* 132. *Primum Consulatum gessit an.* 566. *pag.* 136. *secundum an.* 568. *pag.* 141. *& seqq. Cum Justino Consule non confusus.* 150. 168. *An consulatum perpetuum instituerit.* 152. *Annos P. C. modo Victoriano non computavit.* 152. *& seqq. ejus Novellæ sæpe explicatæ.* 151. 155. *& seqq. Consulatus anno* 567. *susceptus juxta Pagium refellitur.* 163. *& seqq. Concluditur, duos Consulatus gessisse.* 171.

L.

L*Asini Episcopi Brixiensis Epitaphium.* 121.

Liberalitas *in nummis est congiarium.* 8.

Liviæ Augusti uxoris Galba post ejus mortê nummos dicat. 189.

Lucilla post mortem L. Veri Augustæ nomen, & insignia retinet. 179.

Luna XIV anni I Alexandri, Chr. 222. *incidit in diem XIII Aprilis, Sabbato.* 62. *Lunæ decimæ quartæ annorum sedecim in Cyclo S. Hippolyti descriptæ. ibid. &* 93. 96.

Ma-

 bu-

bulis 90 *Æræ Paschalis Ægyptiorum* 89 *& Cycli octoginta annorum ibid.*

Nummi descripti, vel explicati Elagabali 3 4. 19 60 66. *Inter se pugnantes* 99 *Corneliæ Paulæ* 19 *Philippi* 18. *Aquiliæ Severæ* 24 *Annæ Faustinæ ibid & pag* 173. *Vitiatus detegitur* 174. *An defendi possit* 191 *Galbæ* 31. 32 *Hadriani* 34 *L. Veri* 37 *Otaciliæ* 38. *Macrini, & Diadumeniani* 61 *Elagabali cum Processu Consulari* 70 *Cum Congiario apud Angelonum* 77 *Herodis Antipæ* 176 *Liviæ Augustæ* 189 *Annæ Faustinæ a Trevoltiensibus vulgatus*. 191.

O

OFficinatores monetæ 145 146

Ὀλιγοχρόνιοι *apud Herodianum* 24. 40. 41.

Orationes in ordinatione Presbyteri quo sæculo conditæ 122.

Ordinationes sacræ olim celebratæ die Dominico 118 *intervallo temporis inter unam, & alteram* 120 *Ad eas hodie studium celeriter convolandi* 121. *In formulæ ordinationum apud plerosque illa*, Censura morum, & censura vivendi 111 *Ordinationum formulæ quo sæculo conditæ ibid.*

Orosius lapsus, & in rebus Chronologicis oscitatio 57 58

Otaciliæ uxoris Philippi nummus 38

P

PAcificatoris habitus, quid 17 18 eo habitu Imperatores adventantes Romam expressi 20.

Pagius Antonius *passim laudatus. Fallitur in consignando die mortis Vitellii* 50 *At in tradendo die natali Alexandri* 66. *Dionem cum annalibus conciliat* 67 *Initia Elagabali a proclamatione militum ducit* 67 *inde a Kal. Januariis per anticipationem* 69 *& seqq. Impugnatur a Valsecchio vindicatur* 70 *& seqq. Nimium Dioni nequaquam tribuit* 97 *ejus sententia de Justini initio expressa* 127 *Perperam Novellas ejusdem Imp. emendat* 119 131 *& annos P. C. numerat modo Victoriano* 130 131 *Errat in anno Consulatus Justini* 135 *Corippi versus male interpretatur* 138 *Deceptus* 150 *iterum fallitur* 152 *Novellam Justini perperam emendat* 153 *item aliam* 157 *Consulatus Justini ab eo conjectus in an.* 567. *explodetur* 163 *& seqq. Nullo certo argumento fultus* 170 *Ad quem probandum incautus Aventicensem adhibet* 164 *sibi contrarius* 166 *inverecunde damnat.*

Au-

Auctori Chronici Alex. 167. *& Theophane perperam mittur* 168 *Male Postconsulatum* xxv *Basilii adoptat* 169

Palæphatus de incredibilibus scripsit 12

Pancirolus observatus 145

Panvinius notatus 33 64 75

S. S Patres primi sæculi annos per Imperatores numerarunt 84.

Philippi Imp nummus 18. *Imperium, ac mors* 38

Plutarchus notatus 182

Pontificalia antiquissima 122.

Postconsulatus nota quando, & cur inducta 112. *diversa ratio computandi annos* P C 113 130 *Pro Consulatu non acceptus* 155 *In Novellis Justini sæpe explicatus* 151 155 *& seqq*

Postconsulatus XXV *Basilii adoptatus* 169

Probinus Ep Capuanus 160

Procurator monetæ 145

Processus Consulares in nummis, qui sæpius agebantur per annum 70. *At sollemniores pompa Kal Januariis* 71 *Processus Elagabali* 69 72 99

Proterius Alexandrinus annos Paschales computat ab anno primo Diocletiani 87

R

R*Avennæ Instrumentum ex papyro scriptum sub Justino* 141 *Urbs splendidissima* 143 *Habuit plures officinas monetales* 147 *Palatii Imperiale quo loco situm* 148 *divisa in quatuordecim regiones* ibid. *Adde ex Rubeo loco citato hæc* pag 148 *Ecclesiam S Vincentii de* Moneta aurea *fuisse* super plateam majorem, *ac proinde vicinum erat Palatium*

Ripa Striga *apud Lactantium* 6

S

S*Allustia Orbiana Alexandri uxor* 185

Septimii Severi per Illyricum iter 6 *ejus imperii initium.* 15 *Proclamatio Idibus Aprilibus, non Augustis* 67

Severus Alexander suscipit imperium 57 *initio mensis Martii* 61 *ex Cyclo Paschali S. Hippolyti* 62 81 *& seqq Honoris defert Anniæ Fausti* ne 177 187 *Antonini nomen recusat* 18, *Caracallæ, non veris Antonini sanguine jactat* 188.

Statio, *quid* 144

Statuæ apud Græcos unde 22.

Sulpitianus quo anno Consul 185

Sylvester Cor Camillus *laudatus* 4 175 *Ejus Mastrum, & nummus* 4.

Syncelli de Canone S Hippolyti testimonium 83

Tem-

T

TEmpus breve *apud Herodianum* 26

Theophanes correctus 167

Theophilus Alexandrinus Ep. centum annos Paschales supputavit 85

Theupolus Jo Dominicus *laudatur In præfat & 170 Nummi ex ejus Museo, ibid & pag* 173 193 174

Tiberius Constantinus annos P. C modo Marcellinianio expressit 154 *quo anno renunciatus Cæsar* 146

Tornar ius Nicolaus *quo ratione Trib Potestatem explicaverit*, 33

Tribunicia Potestas Elagabali secunda, & tertia 9 10. *Quinta quomodo explicanda In Pref & 65 & seqq* 99. 101

Triumviri Monetales 146

V

V*Allantius in nummo Corneliæ Paulæ describendo notatur* 21 *ejus explicatio nummi aurei Galbæ* 32. 33 *De Memmia uxore Alex. observatur* 185

Valsechius Virginius *laudatur. In Pref & pag* 34 57 *Tocardi opinionem jure confutat* 34 & *Pagio* 66 *Dissertationem edit de Trib Potestate V Elagabali In Pref Cujus annos deducit ab interitu Caracallæ ibid & pag.* 2 14. *Falsa hæc sententia ostenditur* 2 10 *Et incredibilis* 11. *Errat statuendo Elagabali adventum in Urbem sub Trib. Potestate* tertia 10. *Immerito expungit Macrinum ab Imperatorum albo* 14. *Male argumentatur*. 16 *Fallitur in anno* tertio *Elagabali computando* 17 & *in explicatione nummi Corneliæ Paulæ ibid & 25 Matrimonia uxorum Elagabali minus recte collocat* 24. 26. 41. *Sexennium Imperii eidem Cæsari, errato Herodiano, tribuit*. 44. *Dionis mentem non est assequutus* 47 55 *Fastos Græcos frustra in suam sententiam compellit* 55. *Et Orosium, cujus prochronismum non animadvertit* 57. *Defenditur Pagius ab ejus objectis* 73 & *seqq. Auctoris exempla de Augusto, & Julio Cæsare impugnat, quæ vindicantur* 105 107 *Duplicem errorem, & quæ nunquam scripsit, illi imponit* 107. 110 115 *Epitaphium cujusdam Boetii exponit, quod maxime Auctoris sententiæ favet*. 108 115. 125 *Illum haud recte coarguit de annis Justini, qui cœpisse demonstrantur a Kal Januariis* 108 115 & *seqq. Novellas ejusdem Justini frustra adducit* 117 & *improspere corrigit* 129. 151 195 & *seqq. Versus Corippi in alienum sensum accipit* 126 127 *Male opinatur*,

Ju-

Justini dixisse annos Imperii, ac Consulatus. 130. *atque invexisse morem numerandi annos a Consulatu, & ab Imperio.* 132. *Cum Pagio Consulatum Justini perperam collocat.* 135. 163. *Nummum Anniæ Faustinæ rejicit.* 174. *Uxoribus Cæsarum post eorum mortem indultum fuisse nomen Augustarum.* 179. *Quod eas retinuisse exemplis ab ipso impugnatis ostenditur.* 180. 181. 185. *Quid de nummismatum honore.* 189. *& seqq. Recte contra Auctorem explicat verba Herodiani* 183. *Qui excusandus de objecta ab eo conjunctione Alexandri cum Antonino* 188.

Veri Imp. nummus Ægyptius 37.

Vespasianus tempora Galbæ & Othonis non occupavit. 14. *Imperii ejus initium, ac finis.* 53.

Victor Tunnunensis falsus. 111. *ejus modus computandi annos Postconsulatus* 113.

Victorius cyclum Paschalem ordinavit 85.

Vignolius Joannes *Dissertationem de anno* 1. *Alexandri edit* 78. 80. *Mortem Elagabali, & Alexandri initium mense Julio statuit* 80. *Canonem S. Hippolyti hanc sententiæ adversantem non satis elevat* 81. 102. *Putat in eodem Canone adscriptos fuisse Consules, & ab exscriptore in Cathedra prætermissos & tandem Canonem annexum Chronico.* 84. *Hæc utrum sint, fusius disputatur.* 83. *& seqq. Dionis textum corruptum arbitratus pronunciaverit* 97. 98. *Nummum Elagabali contra Pagii sententiam profert.* 80. 99. *Cui nummus alter opponitur.* ibid. *De Fastis Græcis ab ipso explicatis* 100. *Nummum Anniæ Faustinæ vetustatem detegit.* 174. *Verum ejus ectypum profert.* 175.

Vitellii initium Imperii, & mors fuse expenduntur. 49. *& seqq. Consul perpetuus.* 151.

Volusiani notæ imperii. 100.

Uxores Imperatorum post repudium nomen Augustarum *retinuerunt pag* 177. 185. *& post eorum mortem* 179. 180. *etiam hodie* 178. *An nummismatum honor iis concessus.* 189. 191. *Consulum finita Magistratu* Consulares *dictæ* 178. *Uxores Elagabali quot.* 24. *quomodo disponendæ* 40. 41.

NOI

NOI REFFORMATORI

Dello Studio di Padoa.

HAvendo veduto per la Fede di revisione, & approbatione del P. F. *Tomaso Maria Gennari Inquisitore* nel Libro intitolato *De Annis Imperii M. Aurelii Antonini Elagabali, & de initio Imperii, ac duobus Consulatibus Justini Junioris Dissertatio Apologetica*, non v' esser cos' alcuna contro la Santa Fede Cattolica, & parimente per Attestato del Segretario Nostro, niente contro Prencipi, & buoni costumi, concedemo Licenza à *Zuanne Manfrè Stampatore*, che possi esser stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, & presentando le solite copie alle Publiche Librarie di Venetia, & di Padoa.

Dat. 1. Luglio 1713.

(*Girolamo Venier Kav. Proc. Ref.*
{
(*Gio: Francesco Morosini Kav. Ref.*

Agostino Gadaldini Segr.